


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
42 B
24

DE SEPTEMVIRATV PALATINO

A

DIVO FERDINANDO II.

ROMANORVM IMPERATORE AVGVSTO.

IN SERENISSIMVM PRINCIPEM MAXIMILIANVM COMITEM

Palatinum Rheni, Vtriusque Bauariæ Ducem, S. R. I. Archidapiferum & Electorem, Optimo Maximo Iure translato,



S. Andrea

Dissertatio.

della Valle.

ANNO DOMINI

1632.

DE
SEPTEMVIRATV
PALATINO
Diuino Numine humiliter implorato.

I.


Rdua, grauis & illuſtris, aliquot retrò ſæculis & à prima ferè vſuum feudalium origine, inter Doctores Iuris & ipſos feudalium conſuetudinum Compilatores, acerrimè diſceptata quæſtio, An ob enorme crimen in Dominum Feudi à Vaſallo commiſſum, ad ipſum Dominum vel ad proximos Vaſalli Agnatos Feudum deuoluatur; vix vnquam tanta ſolertiâ ſtudio & induſtriâ fuit diſcuſſa & ſummis, textuum ex Iure Feudali, Aureâ Caroli IV. Imperatoris Bullâ, & Cõſtitutionibus Imperij deſumptorum, atque prægnantiſſimarum rationum momentis, tùm grauiſſimorum Iuris Doctorum Authoritatibus ponderata & examinata, quam duobus ab hinc luſtris, cùm caſus & materia maximi momenti hanc quæſtionem denuò in arenam reuocauit, dum Fridericus quintus antehac Palatinus

Rheni, S. Rom. Imp. Elector & Archidapifer, Augustiſſimo & Inuictiſſimo Romanorum Imperatori, Hungariæ & Bohemiæ Regi Ferdinando II. nefario auſu iniquiſſimum bellum inferendo, eiúſque regna ac ditiones violenter inuadendo, crimen perduellionis & læſæ Maieſtatis commiſit, atque idcircò tanquam rebellis & hoſtis ſuæ Sacræ Cæſ.ª M.ᵗⁱˢ & Romani Imperij, juxta leges & conſtitutiones, receptúmq; in Imperio morem publicè proſcriptus fuit.

2. Qua de cauſa S. M.ᵗᵃˢ Cæſ.ª Iure ſuo optimo vſa, omnia huius rebellis & proſcripti Palatini bona, dominia, ditiones, territoria, Iura & quidquid ipſe poſſederat, cumprimis verò Ius Electionis & Archidapiferiæ tanquam feuda commiſſa, & ad ſe ac Imperium deuoluta, apprehendi curauit; Quod animaduertens Ser.ᵐᵘˢ Princeps ac Dominus, Dominus Wolfgangus Wilhelmus Comes Palatinus, Dux Neoburgenſis, &c. & ad prædicti Friderici proſcripti bona, ditiones, ipſamque Electoralem dignitatem aſpirans, omnem lapidem mouit, vt ipſe poſt excluſos proſcripti Friderici filios, ac fratrem Ludouicum Philippum proximus Agnatus, & ſimultaneè inueſtitus, de bonis ac feudis à proſcripto Friderico ad S. Cæſ. M.ᵗᵉᵐ deuolutis, inueſtiretur, & Elector renunciaretur.

3. Etſi verò ſua Cæſ. M.ᵗᵃˢ ſummus, æquiſſimus ac Religioſiſſimus Iudex, perſpectis & ponderatis dicti Ser.ᵐⁱ Domini Ducis Neoburgenſis, prætenſis titulis, Iuribus ac rationibus judicauit, feuda, quæ proſcriptus Fridericus à ſua Maieſtate & ſacro Romano Imperio acceperat, non ad Ser.ᵐᵘᵐ Dominum Ducem

Neobur-

Neoburgicum vt Agnatũ, ſed tam ipſo quam alijs proximioribus excluſis, ad S. Maj.tem & ſacrum Imperium, eſſe reuerſa, & ſibi vigore Iuris communis feudalis, Aureæ Bullæ ac Conſtitutionum Imperij competere Ius, de ijs feudis apertis, tanquam de rebus ad ſe & Imperium deuolutis pro arbitrio diſponendi, prout negotio hoc grauiſſimè & maturè deliberato, atque cum reliquis S. Imperij Electoribus communicato, Pontifice item Maximo & ipſis Electoribus adſtipulantibus, exteris Regibus intercedentibus, Electoralis dignitas cum omnibus ipſi annexis Iuribus, bonis & ditionibus, Ser.mo Principi ac Domino, Domino Maximiliano Comiti Palatino Rheni, vtriuſque Bauariæ Duci, ab eâdem proſapiâ deſcendenti, Ius legitimum ab antiquo, atque à Maioribus ſuis hæreditarium ad hunc Electoratum habenti, nec non de ſua ſacra Majeſtate, Romano Imperio & Republica Catholica, glorioſè, præclarè & optimè merito delata, ex certâ ſcientiâ & motu proprio oblata, Inueſtitura more Maiorum collata atque ita velut poſtliminio in eum ſtatum & locum, à quo trecentos ferè annos, vi & iniuriâ Palatinorum exulauerat, reuerſa fuit.

4. Vnde omninò vanum, imò temerarium, ne dicam ſacrilegij crimen eſſe videtur. rem planam, judicatam & Imperialis Culminis authoritate deciſam ac roboratam, adeóque ſummi Principis poteſtatem & Iudicium in dubium reuocare, *juxta l. Sacrilegij s. de diuerſis reſcript. l. 3. & ibid. DD. C. de Crim. Sacrileg. vbi ad hanc rem reſcripſerunt Imperatores Gratian:*

Valentinianus & Theodos. Disputare (aiunt) de principali Iudicio non oportet, sacrilegij enim instar est dubitare, an is dignus sit quem elegerit Imperator. *And. Gail. pract. obser. lib. 2. obs. 55. vbi n. 8. dicit, summo Principi aliquid ex certâ scientiâ statuenti neminem contradicere posse.*

5. Attamen non desunt, qui suo nimium tribuentes cerebro aut audaciæ, hanc Augustissimi juxtà ac æquissimi Imperatoris dispositionem & Iudicium conuellere, & rem tam maturè ac justè decisam nõ tantùm denuò ad incudem reuocare, sed etiam temerè infringere nituntur, dum scriptis suis Romæ (cùm in Germania & patria fortè nullam inueniant fidem & assensum) passim sparsis, atque in Purpuratorum Aulas intrusis, quorundam animos hujus rei fortè non satis gnaros, per sub: & obreptionem præoccupare, & in sinistram opinionem pertrahere student.

6. Ne ergo illi, quorum interest, Authoritatis, honoris & Iudicij Cæsarei, Serenissimíque Bauariæ Electoris Iurium sarta tecta conseruare, videantur hac in re sua negligere, vel subreptitijs discursibus hinc indediuulgatis, non velle aut non posse respondere, adeóque tacendo, & non contradicendo erroribus, quandam veri speciem præ se ferentibus consensum præbere: Visum fuit ad Scriptum illud, sub titulo, Compendiosa Relatio Iuris Successionis in Electoratu Palatino ad Rhenum, ad Ser.mũ Principem Wolfgangum Wilhelmum Ducem Neoburgensem

deuo-

deuoluti, &c. per Anonymum Iureconsultum euulgato, paucis respondere, & quantum à vero aberret Relator ille, solidis fundamentis demonstrare.

7. Totius autem Relationis Neoburgicæ summa, ad quatuor vel quinq; potissimum capita seu fundamenta reduci potest: Conatur enim Relator primùm & potissimùm ex Aureâ Caroli IV. Imperatoris Bulla & Imperij Constitutionibus, tum ex vsibus Feudorum tùm ex simultaneâ Ser.mi Ducis Neoburgensis Inuestitura, tum etiam ab Authoritate Doctorum, & exemplis suæ opinioni veritatem astruere. Quæ nos non solùm ex fundamento ita confutabimus, sed vnà etiam pro vindicanda Cæs.æ M.tis Iustissimâ Sententiâ translati in Ser.mum Bauariæ Electorem Maximilianum Electoratus, cum annexis ipsi Iuribus, dignitatibus, terris & ditionibus, & asserendo optimo maximo Iure, suæ ElectoraliCelsitudini ad dictum Electoratum competenti, solidissimis textibus Iuris, Aureæ Bullæ, Constitutionum Imperij, Doctorúmque Authoritatibus & rationibus demonstrabimus, vnde liquidò constabit, dicto Ser.mo Duci Neoburgensi nihil omnino Iuris ad eum Electoratum esse, dictámque Relationem nihil Iustitiæ æquitatis & conscientiæ continere.

8. Vt autem meliore compendio, modo, & ordine id fiat, suáque constet veritati fides, priùs de Iuribus, fundamentis, rationibus, & Authoritatibus, quæ pro firmandâ & muniendâ affirmatiuâ opinione, Cæs.æ M.tis optimo Iure & æquissima sententia faciunt, nulláque arte aut effugio, absque manifesta cauillatione elidi aut eludi possunt, succinctè agemus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

9.

PRimum ergo pro aſſerendo S. C. M.tis Iure & Sententia Fundamentũ eſt in clariſſimis textib. Iuris, & primò quidem *in cap. vn. §. deniq; ſæpe, Quæ fuit prim. cauſ. benef. amitt. lib. 2. feud. tit. 24.* quem textum vt notabilem, ſæpius allegandum & baſin huius quæſtionis, ad literam aſcribere libet: Deniquè ſæpe quæſitum eſt, Vaſallo propter juſtam culpam à Feudo cadente, vtrũ ad Dominum, an ad Succeſſorem vaſalli beneficium pertineat. Sed hæc diſtinctio tam ratione quàm moribus comprobata eſt, vt ſiquidem Vaſallus ita in Dominum peccauerit, vt feudum amittere debeat, non ad proximos ſed ad Dominum beneficium reuertatur, vt hanc ſaltem habeat Iniuriæ ſuæ vltionem: Si verò non in Dominum, ſed aliàs grauiter deliquerit, vel graue quid commiſerit, ſicuti ille qui fratrem ſuum interfecit, vel aliud graue crimen (quod parricidij appellatione continetur) commiſerit, feudum amittit, & non ad Dominum, ſed ad proximos agnatos pertinet. ſi tamen beneficium fuerit paternum: ſic enim ſæpe pronunciatum ſcio, &c.

10. Alter

10. Alter textus est in cap. vn. An ille qui interfecit fratrem Domini sui, feudum amittat lib. 2. tit. 33. vbi ita est constitutum: Si quis interfecerit fratrem Domini, feudum non ideò amittit, sed si fratrē suū interfecerit, ad hoc vt hæreditatem habeat, vel aliam feloniam commiserit, V. G. hominem tradendo, vt in Curia amplius stare non possit, priuabitur beneficio. Quia tamen erga Dominum non fuerit facta, ad Agnatum proximiorem feudum pertinebit, si paternum fuerit, eodem prorsus obseruando, quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus. Cùm autem ad Dominum respicit felonia, feudum tunc Domino aperitur.

11. Tertius Textus & quidem terribilis est *in cap. Felicis, de poen. lib. 6.* vbi Pontifex Bonifacius in eum, qui crimen læsæ Majestatis commisit, inter cæteras graues & durissimas pœnas *in §. si qua verò feuda, &c.* hanc statuit, Vt feudis ipso jure priuetur, quæ sic liberè ad Ecclesias reuertantur, quod Ecclesiarum Rectores de ipsis pro sua voluntate disponant; quod certè minimè dici posset, si ad Agnatum eo in casu feuda deuoluerentur. Ne autem de Agnatis vlla dubitatio supersit, pergit Pontifex vlterius, & in §. Cæterum eand. pœnam, Vt nefandi rationo

flagitij vltionis severitas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum, plagarum modus exuberet, nec pœnis solitis contentetur; ad Collaterales, fratres videlicet, Nepotes & Pronepotes extendit. Et executionem eiusdem sæcularibus potestatibus sub pœna excommunicationis *in §. per hæc quoque, &c.* demandat; Similis etiam textus est *in c. quibusdam §. sacri. extr. eodem.*

12. Secundum huius sententiæ & Cæsarei Iuris fundamentum est, Doctrina, Authoritas & pondus grauissimorum plurimorúmque Iuris Doctorum, quos ideo bona ex parte allegandos censuimus, tùm quia Relator Catalogum suorum, & quidem paucorum à Numero 83. vsque ad numerum 93. nectit, tùm etiam quia ex illis paucis multos in suam sententiam trahit & allegat, qui de eâ ne somniarunt quidem.

Sunt ergo Iureconsulti qui suum Calculum nostræ sententiæ adijciunt.

Aluarottus *in d. § denique, Quæ fuit prima caus. benef. amitt. in Princ. & n. 4. & 8.*

Anchror. *Consil. 277. n. 2.*

Ardizon *in summa feudali c. 135. vers. Item sciendum.*

Alexand. *Cons. 30. Incipit Quoniam. n. 17. vers. quia R.*[dco] *quodibi, vol. 1. & cons. 10. n. 7. vol. 3.*

And. Gail. *de pac. publ. lib. 2. c. 13. n. 10. 14. & 16.*

And. Fachineus *lib. 7. controuers. c. 22. vers. mihi prior & omnes.*

Allegatur Anan. cons. 32.

Baldus *in c. 1. §. fin. Quæ fuit prima caus. & in c. 1. §. Si vasallus culpam, si de feud. def. fuerit controuers. & c. 1, n. 3. Si Vasall. feud. priuet.*

Bartol. *in l. eum qui. n. 1. ff. de Interdict. & releg.*

Berous *cons. 77. n. 18. & cons. 28. n. 7. cons. 114. n. 28. 54. 58. vol. 1.*

Bursat. *cons. 148. n. 3. vbi testatur de communi.*

Boss. *tit de publi. bonor. n. 53. & 54.*

Barbatia *cons. 45. vol. 1.*

Boerius *decis. 255. n.* 12.

Cardinal. *Tuscus in verb. feudum, conclusion. 221.*

Curtius Iun. *tract. feud. p. 5. n. 2. vers. Prima itaque erit.*

Crauetta *cons. 373. n. 10.*

Clarus *§. feudum q. 66. n. 33.*

Castrensis *l. sed si hac ff. de in Ius vocand.*

Cephalus *cons. 49. n. 25. & cons. 48. n. 10.*

Duarenus *de feud. cap. 17. n. 2.*

Decianus *cons. 18. n. 343. vol. 1. & cons. 23. n. 3. eod. vol. Et notandum eum in dic. cons. 18. consulere in eadem causa in qua consuluit Menoch. cons. 99.*

Eguinar. *Baro in dic. §. denique, vbi ait, hanc distinctionem obseruandam esse.*

Farinac. *tract. crim. lib. 1. tit. 3. q. 25. n. 78. & n. 91. vbi dicit* In Crimine læsę Majestatis in omni casu feudum semper deuolui ad Dominum exclusis Agnatis, & idem

Farinacius *cons. crimini. 119. n. 1. dicit, Quando Fiscus est Dominus directus, quod hoc sit expeditum, vbi citat Molin. trac. de primog. lib. 4. c.* 11. *n. 10.*

Frecia *de Feud. lib. 3. q. 1. n. 1.*

Glossa *in c. 1. §. final. verb. ad proximos, Quæ fuit prima causa. & in c. 1. §. si Vasallus, si de feud. defunct. controu. & in c. 1. §. fin. gloss. vlt. de pac. Iuram. fir.*

Gygas *de crimin. læs. Majest. lib. 2. q. 5.*

Giphanius *disput. feud. 9. n. 5. & 6.*

Gabrielius *in Concl. de Iure Emphyteut. concl. 2. n. 23.*

Henricus Bocer. *de Regalib. c. 3. n. 113. vers. vnde amissum.*

Iacob. *de Beluiso c.* 1. *§. fin. Quæ fuit prima causa.*

Iacob. de S. Georg. *tract. feud. In sua formula Inuestituræ, verbo, dictique Vasall. n. 10. & 58.*

Iacob. de Arena; Iacob. Ardizo, quos citat Aluarott.

Iason.

Iaſon. *in l. adoptiuum §. patronum n. 4. ff. de in Ius vocand.*

Ioan. *Borcholt. in comment. in vſus feud. p. 8. n. 156.*

Kirchou. *in commun. concluſ. verb. Vaſallus quando priuet.*

Knichen. *de veſtiturar. pactionib. lib. 1. c. 2. n. 150.*

Ludoph. Schraderus *de feud. p. 9. c. 8.*

Mynſing. *conſ. 44. n. 32. decad.* 1.

Menoch. *conſ. 99. n. 144. & 104. vol. 1. Idem de Arbitrar. Iudic. caſ. 267. n. 3. & 4. Idem de remed. recup. remed. 9. n. 240.*

Natta *conſ. [illegible] lib. [illegible]*

Odofredus, *citatus ab Aluarotto dic. loc.*

Pariſius *conſ. 21. n. 52. lib.* 1.

Peregrinus *de Iure Fiſci lib. 5. n.* 108.

Præpoſitus *in c.* 1. § *prædictis, iuncto. §. denique Quæ fuit prim. cauſ.*

Pancirolus *conſ. 29. n.* 1.

Roland. *à Valle conſ.* 1. *n.* 10. *vol. 3. & conſ. 15. n.* 1. *conſ. 78. n. 8. vol. 4. conſ.* 21. *n. 7. vol. 3. conſ. 28. n. 25. vol. 2.*

Schenkius *in §. denique. Quæ fuit prima cauſa.*

Sonsbecius *de feud. p. 12. n. 1.*

Socinus Iun. *conſ. 68. n. 126. lib. 3.*

Thomas *de Marinis tr. de feud. hæredit. & pact. & prouid.*

prouid. tit. 2. n. 83. & 88.

Vulteius *de feud. lib. 1. c. 11. n. 71.*

Vrsillus *in addit. ad Afflict. decis. 282. n. 2. vers. Io. Curtius.*

Zasius *de feud. p. 10. n. 111.*

13. Atque hæc Sententia tanquam communissima, vt plerique DD. testantur, etiam ij qui vel contrariæ vel mediæ adhæserunt, non solùm theoricè in Academijs disputando defensa, sed etiam in praxi & foro obseruata, atque secundùm eam judicatum fuit, *de quo videndus Decius d. cons. 606.*

14. Tertium fundamentum est in Legibus fundamentalibus & Constitutionibus Sacri Rom. Imperij; primò quidem in pace publica per Imperatorem Maximilanum primum, Anno 1495. Wormatiæ constituta. *tit. de pœn. fractorum pacis.*

15. Secundò in declaratione eiusdem pacis publicæ per Diuum Carolum V. in Anno 1521. Wormatiæ & 1522. Norinbergæ facta. §. So auch. §. Und so man.

16. Tertiò in vlteriori declaratione eiusdem Caroli V. in anno 1548. constituta, tit. Die Poen der Fridbrecher.

17. Quartò in ordinatione Imperialis Cameræ part. 2. tit. 9. Quibus locis postquam Diui Imperatores vnà cum statibus Imperij, quoad partem priuatam ex fractâ pace læsam, & diuersam à persona Domini Feudi, ita sanciuerũt. Si contingat pacem publicam

non

non in Dominum Feudi ſed alium Imperij ſtatum fractam, quod tunc Dominus Feudi poſſit vti Feudo vſq; ad dies vitæ quibus fractor pacis publicæ viuet; poſtea quoad Dominum Feudi, qui hic ipſe Imperator eſt. Sin autem fractor pacis in ipſum Dominum delinquat (vt habetur in conſtitut. de Anno 1548. d. tit. §. Vnd waß nun die Sachen. Verſ. Wo aber/ꝛc.) tunc obſeruetur, quod de Iure Feudali conſtitutum & vſitatum eſt, vt videlicet (ſecundum ſupra allegatos clariſſimos textus Feudales & Doctorum Authoritates) Feudum perpetuò maneat apud Dominum, vt habeat Iniuriæ ſuæ vltionem.

18. Niſi enim hoc fieret, neceſſariò ſequeretur & dicendum foret, eo caſu quo fractio pacis in ipſum Feudi Dominum (maximè etiam Imperij Supremũ Caput, Cæſarem ſcilicet) committitur, delictum vel leuiùs & mitiùs, vel ſaltem non aliter aut grauiùs puniendum eſſe quàm ſi committatur in alium. prius eſt abſurdum; alterum autem repugnat Conſtitutioni ipſi, quæ vtrumque caſum expreſsè ſeparat & diſtinguit.

19. Deinde dicta Caroli V. conſtitutio caſum eum, quo offenſa vel fractio pacis publicæ in ipſum Feudi Dominum perpetratur, remittit ſecundum Ius commune Feudale & conſuetudinem decidendum. Quid autem Iuris Feudalis ſit, luculentiſſimè & ad oculum apparet ex textibus ſupra citatis, ita vt vel bardus ſit vel

talpâ

talpâ cœcior, qui eos non intelligat aut non videat. Cõsuetudo verò constat ex tot præstantissimorũ Iuris Doctorum communi voce, testimonio & authoritate.

20. Cui accedit textus clarissimus in Aurea Bulla Caroli IV. tit. 14. de his quibus vt indignis auferuntur bona Feudalia, vbi statuitur his verbis: Vasallus Dominum suum in beneficijs & feudis resignatis vel non resignatis inuadens, quomodolibet perturbans vel damnũ ipsi inferens, seu consilium & auxilium præstans talia facientibus, vel fauorem, feuda & beneficia huiuscemodi eo ipso amittat, infamis existat, & banno Imperiali subiaceat, & nullus ad feuda vel beneficia ei de cætero pateat quocunque tempore aditus vel regressus, nec de nouo concedi sibi valeant vllo modo, & facta eis contra, ac illorum concessio, seu Inuestitura secuta viribus non subsistat: Postremò omnes prædictas pœnas, illos, vel illum qui contra Dominos suos fraudulẽter agentes scienter eos inuaserint, diffidatione quacunque præuia vel omissa, vigore præsentis sanctionis incurrere decernimus ipso facto; ita quod possessio beneficiorum & feudorum huiusmodi dominis ipsis corporaliter & realiter assignetur, &c. Vt

Vt proinde nihil omnino dubij habere poſſit, quin juxta ipſas Imperij Conſtitutiones & Auream Bullam, eo caſu quo delictum tam atrox & enorme fractæ pacis, perduellionis & Criminis læſæ Maieſtatis in Dominum commiſſi, feudum Electoratus, excluſis in perpetuum Agnatis à primo acquirente deſcendentibus, ad Imperatorem Feudi Dominum reuertatur, vt de eo tanquam de re ad ſe & Imperium legitimè deuolutâ, pro arbitrio diſponere poſſit, *vt habet textus in cap. 7. Aurea Bulla.*

21. Quartum fundamentum eſt in ſummis rationibus Iuris poſitum. Primò enim conſtat, Crimen læſæ Maieſtatis, rebellionis & perduellionis tam eſſe atrox, abominandum & enorme, vt in eo à communibus Iuris regulis (quæ ſunt vt delicta ſuos debeant tenere authores, nemo alterius culpam luere, & ſimiles) *ita diſponente l. ſancimus C. ad l. Iul. Maieſt. & aurea Caroli IV. Bulla c. 24.* diſcedatur. Et licet aliàs æquitas Canonica in irrogãdis pœnis aliquãtò ſit mitior quàm rigor Iuris Ciuilis, tamen in hoc tam atroci & abominando crimine, maior apparet Canonum rigor quàm Legum, *vti videre eſt in cap. Felicis ſuprà citato de pæn. lib. 6.*

22. Secunda ratio à Conditoribus Iurium feudalium exprimitur in d. cap. 1. §. denique, Quæ fuit prì. cau. benef. Vt nimirum Dominus ſaltem hanc habeat Iniuriæ ſuæ vltionem. Et licet hæ leges quoad Agnatos Innocentes videantur duriores, tamen

quia ita scriptæ sunt, seruari omnino debent, *vt respondit Vlp. in l. Perspexit. ff. Qui & à quibus manumiss.*

23. Tertia ratio est, Quia longè aliter censenda sunt bona feudalia quàm allodia & libera, Aliæ sunt etiam regulæ feudales, aliæ Iuris Ciuilis. Cùm etenim Feudum sit gratuitum Domini beneficium, & quilibet in cōcessione aut donatione rei suæ possit dicere legem & pacta quæ vult, *juxta l. In traditionibus ff. de pact. l. legem C. eod.* Ita in omni constitutione & concessione Feudi ex natura sua, & sic tacitè præsumitur hoc pactum & conditio adiecta, feudúmque eâ perpetuò affectum; Si quando, & quotiescunque ipse Vasallus, eiúsq; successores omnes & singuli Domino non fuerint fideles, ipse feudum tanquam sibi apertum reuocare possit, vt ita & ipse offensus non solùm Iniuriæ suæ vltionem habeat, sed etiam offendenti omnis pœnæ mitigatio præscindatur, quam habere posset, si, quod per suam perfidiam amisit, ad Agnatos reuerti speraret beneficium. Atque hanc rationem allegant *Roland. à Valle cons. 1. n. 10. & 11. lib. 3. Gail. l. 2. de pac. pub. cap. 13. n. 11. Boßius de publ. honor. n. 158. Knichen d. c. 1. n. 154. & alij ex supra citatis.*

24. Quarta ratio est, Quod si secus diceretur & feudum tali casu, rebelli ac perfido Vasallo non penitus auferretur, tunc multi textus feudales corrigendi

aut

aut tollendi forent. Nam *in c.*1.*Si Vasall.feud.priuet.* *dicitur,* Quod Vasallo feudo priuato, feudum quandoque ad Agnatum pertineat, Ergo non semper ad eum pertinet, sed dantur casus quibus illi aufertur. Si ergo hic casus, quo Vasallus in Dominum Directum, & simul etiam supremum suum Magistratum crimen læsæ Maiestatis enormissimum, quo vix grauius excogitari potest, multifariam perpetrauit, non sit talis, in quo feudum Vasallo auferri, & exclusis omnino agnatis ad Dominum deuolui possit & debeat, profectò non poterit alius allegari, sed ea dispositio erit vana, superflua & de nihilo, quod est absurdum.

25. Maximè verò cùm in alijs multis casibus ob causas crimine perduellionis multo leuiores, Vasallus feudo omnino cadat, ita vt eo ad Dominum reuerso, Agnati ab eo in perpetuum excludantur, *vt est casus in c.* 1. *de Allodijs tit.*54. *lib.*2. *vbi habetur*: Si Vasallus expeditione Romam, ad suscipiendam Imperij Coronam, Regem, aut sub Rege Dominum suum non adiuuerit, eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiæ persoluendo, feudum perdit, & Dominus in suos vsus illud habet redigendi potestatem. *Concordat cap.* 1. §. *firmiter de prohibit. feud. alienat. per Federic. tit.*55. *lib.*2.

26. Item si Vasallus non petat Inuestituram intra annum & diem *c.*1. *Quo tempore mil. tit.*22. *c.*1. §. 1.

Quæ fuit prim. cau. benef. lib. 2. tit. 40. §. Præterea si quis lib. 2. tit 55. Schrader de feud. p. 9. c. 1. n. 2. & p. 6. c. 1. & 2. Vult. lib. 1. c. 8. n. 71. Fachin. lib. 7. Controuers. Cap. 25.

27. Item si feudum alienetur absque consensu Domini, *c. vlt. Quæ fuit prim. ca. benef. amitt. c. 1. de Inuestitur. de re alien. fact. c. 1. Qual. olim feud. alien. pat. Fachin. d. lib. 7. c. 24.*

Quæ omnia delicta, quæ partim in omittendo solùm consistunt, grauitate sua Crimini læsæ Majestatis longè sunt inferiora. Si ergo ob illa Vasallus priuatur feudo, & Agnati ab eo ad Dominum reuerso excluduntur, multo magis id dicendum erit de extraordinario & enormi perduellionis crimine, Argumento à minori ad maius ducto *l. fin. cum gloss. C. Qui ætate lib. 10. Nicol. Euerh. in topic. legal. loc. à min. ad maius.*

Quintum fundamentum in exemplis & præiudicijs ad hoc negotium pertinẽtibus, sicq; receptâ Romani Imperij obseruantiâ consistit, in quo tamen ad ea quæ inferius in refutatione dicentur, me remitto.

28. Sextum & vltimum fundamentum resultabit ex refutatione Argumentorum pro contraria opinione adductorum. Prinsquam autem ad refutationem Relationis accedamus, præmittẽda videntur quædam ad meliorem & faciliorem intellectum AureæBullæ, in qua Relator totum ferè fundamentum posuit.

29. Et primò quidem, quamuis olim in feudis regalibus, quales sunt Ducatus, Marchionatus, Comitatus

tatus & similia, quibus maximè Electoratus feudum accensendum est, Iure feudali successio fuerit incognita, ita vt ad hæredes non transirent, nisi ipsi nouam inuestituram obtinuissent, attamē id postmodùm illo ipso Iure feudali inductum fuit, vt videre est *in c.* I. *tit. de feud. March. & c.* I. §. *fin. de alienat. feud. vbi Afflict. Præpos. & Schenk:* Vnde quod tunc proximiores Agnati succedunt in Eiusmodi Electoratibus & Ducatibus, id non fit primùm vigore Aureæ Bullæ Caroli IV. sed secundùm communem naturam feudi & Ius feudale antea iam constitutum. Nec tamen obstat, quin, si possessor talis feudi regalis atrociter delinquat in Dominum, ad eum feudum reuertatur exclusis agnatis *per Iura supra adducta, Curt. Iun. de feud. p. 5. conclus.* I. *num.* 5.

30. Secundò præmitto, Etsi feuda maiora & regalia sint indiuidua non tam propter dispositionem Aureæ Bullæ, quàm ipsius Iuris feudalis *in c.* I. §. *præterea, tit. de prohib. feud. alien. per Frid. Tiraquell. de Iur. primog. q.* 4. *n.* 19. Hoc tamen non obstante, feuda hæc feloniæ & reuersioni ad Dominum, delicto in ipsū commisso, sunt obnoxia, *Præpos. c.* 1. *tit. de natur. feud. vbi ait.* Papam & Imperatorem posse etiam Reges, Duces, Marchiones, Comites priuare suis Regnis & feudis vtcunque dignitatem habentibus, ob conuictam culpam.

31 Tertiò præmitto, Quamuis feuda regalia ex ipsa dispositione feudali sint indiuidua, tamen primogenitus non excludit alios, sed defuncto vasallo plures

 filij

filij vel alij hæredes feudales relicti, omnes simul succedunt pro indiuiso. *Præpos. d. c. 1. tit. de feud. March. Zas. cons. 8. n. 11. lib. 1.* Vnde Ius primogenituræ nec Iure ciuili nec feudali introductum esse, sed speciali statuto vel consuetudine regni valere, rectè tradit Tiraquell. *de Iur. primog. q. 4. per tot.* In Imperio autem, quoad Electorales dignitates per Auream Bullam inductum aut confirmatum esse Ius primogen. in confesso est.

32. Quartò præmitto, Quod in casu, quo Ius primogenituræ in aliquo loco viget, deficiente primogenito sine descendentibus, secundogenitus aut cæteri maiores natu non possint sibi aliquod Ius prærogatum, nisi statutum vel consuetudo vlterius processerint, asserere, vt tradit *Afflict. d. c. 1. Quæ fuit pr. caus. Zas. dic. cons. 8. n. 1.* Hinc ortæ variæ controuersiæ, An Nepos patruum excludat, &, An Iuri repræsentationis locus sit in Collateralibus. Ad quas & similes tollendas, ne jurgia & grauia bella in Reip. damnum inter Principes orirentur, Aurea Bulla circa Ius primogenituræ & modum succedendi statuit, vt mortuo primogenito absque descendentibus, solus secundogenitus & eius descendentes, atque ita deinceps succederent, Nepotes patruis præferrentur, Clerici penitus arcerentur, & vnus semper, non plures ad Electoratum admitterentur, *vt patet ex d. Bulla c. 7.*

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

33.

HIs sic præmissis, redimus ad Relationem, & Primò quidem quod attinet ad Auream Caroli IV. Imperatoris Bullam, quam Relator tam ratione Authoris, quàm inviolabilis & perpetui vigoris ac publicæ vtilitatis, in cælum vsque attollit, non est animus ea de re pro nunc multis disputare; id sanè nemo æqui & Iusti amans inficiabitur, Carolum IV. filijs & posteris Ludouici IV. Imperatoris gloriosæ memoriæ, parùm fauorabilem, in generum verò suum Rupertum Palatinum Rheni, dicti Ludouici ex fratre Rudolpho Nepotem, ac posteros eius longè propensiorem, non ex æquo egisse, dum eis Ius, vocem, potestatem, ac dignitatem eligendi Romanum Regem assignauit; contra fidem datam & pacta non pridem ante erectam Bullam, inter ipsum Imperatorē Ludouicum & eius ex fratre Rudolpho, qui iam fatis concesserat, Nepotes conuenta atque Iuratâ promissione firmata, quibus expresse continebatur, vt diuisis inter vtramque stirpem prouincijs, terris ac ditionibus (pater enim Ludouici Imperatoris & Rudolphi Palatini, nempe Ludouicus cognomento Seuerus, tam Bauariam vtramque, quàm Palatinatum, qui postmodùm Superior & Inferior appellatus fuit, simul hæreditario Iure possedit) Ius, vox, & potestas eligendi Romanum Regem vt res indiuisibilis, ab vtraque stirpe seu linea Ludouici & Rudolphi, alternis vicibus exerceretur; quam diuisionem, transactionem & dispositionem dicti Ducis Rudolfi filij ratam habuerunt, hisce

verbis

verbis ex Autographo adhuc extante desumptis, Debemus etiam primùm Romanum Regem eligere pro nobis & nostra parte, & debent nostri dilecti Domini & patrui Cæsaris Ludouici filij, Ludouicus & Stephanus, aut illorum hæredes alterum Romanum Regem eligere, & sic debet alternatio Electionis regni inter nos & nostros hæredes posthac perpetuò permanere. Et quando contingit quòd nos Romanum Regem eligere debemus, tunc tenemur nos & nostri hæredes, nostros prædictos patrueles Ludouicum & Stephanum & eorum hæredes tueri & securos reddere erga Romanum Regem tanquam nos ipsos; vt illis fiat circa feuda, circa constituta, & circa alia Iura quæ habere debent à Regno & quæ ad terram illorũ pertinent, quæ vtrorumque nostrorum Maiores habuerunt, & ad nos atque illos continuarunt: hoc ipsum debent illi & eorum hæredes Nobis & nostris hæredibus vicissim facere toties, quoties Electio Regni ad eos peruenerit. Et si nos, aut nostra pars vel nostri hæredes, illos aut eorũ hæredes impediremus aut circumueniremus

in

in Electione regni, & ipsis non vellemus permittere vt eligerent, quemadmodum Iure deberent & præscriptum est, tunc amisimus nos, nostra pars & nostri hæredes electionẽ regni, & debet electio regni ad illos, illorúmque hæredes reuolui, ac perpetuò apud illos permanere. Similiter debet electio Regni ad Nos nostram partem & hæredes nostros deuolui, & in perpetuum penes nos permanere, si ipsi aut eorum hæredes nos, nostram partẽ, aut nostros hæredes impedirent aut circumuenirent in Electione, quando nos eligere deberemus &c. Sicut etiam ex literis Authenticis adhuc extantibus constat, hanc Ludouici Imperatoris ordinationem, diuisionem, & translationem inter suos & fratris Ducis Rudolphi filios factam, circa alternationem Iuris eligendi Rom. Regem ab ipsis Electoribus Imperij approbatam, confirmatam, atque idcircò Stephanum Ludouici filium tanquam Coëlectorem, in Collegium & Confæderationem illorum receptum eiúsque literas ratificatorias ab ipsis Coëlectoribus receptas fuisse, quarum tenor hic est:

Nos Stephanus Dei Gratia Comes Palatinus Rheni, & Dux Bauariæ, notum facimus cunctis hominibus, qui has literas vident, aut legi audiunt; quod nos vnà cum cæteris Sa-

cri Romani Imperij Electoribus conſidera-
uimus & reſpeximus, vt dictum Romanum
Imperium in ſuo honore, juribus & bonis, at-
que etiam nos ac cæteri Electores, in noſtro
honore, juribus, conſuetudinibus & priuile-
gijs, quæ nos à prędicto Imperio habemus,
his temporibus & antea vehementer impedi-
ti & moleſtati fuimus ac ſumus, & propter
communem ac manifeſtam vtilitatem to-
tius Chriſtianitatis, atque ad præmemorati
Imperij, ac noſtrum, cæterorumque Ele-
ctorum honorem, jura, priuilegia & conſue-
tudines tuendum, defendendum ac manute-
nendum, vnanimiter conuenimus, & nos in-
uicem vniuimus, quod prædictum regnum
& noſtrum principalem honorem, quem ab
eo habemus ac obtinemus, videlicet in ele-
ctione regni, in ſuis & noſtrorum Electorum
juribus, priuilegijs & conſuetudinibus, ſicut
ab antiquo ad nos tanquam Imperij Electo-
res peruenit, & deuolutum fuit, manutenere,
tueri, ac defēdere velimus, pro omnibus no-
ſtris viribus ac poſſe, ſine fraude, cōtra quos-
libet, nemine excepto: Siquidem hoc noſtrū

honorem & juramentum concernit: neque hoc intermittemus propter vllum mandatū, à quocunque vel quomodocunq; hoc emanaret; per quod Imperium, nos, & cæteri Electores in præſcriptis rebus vllo modo impugnari poſſemus. Volumus inſuper omnes Dominos & amicos, qui ad nos ſpectant, vel non, ſiue ſint Eccleſiaſtici ſiue ſeculares, noſtros Vaſallos, Miniſteriales, Caſtellanos, Officiales & ciues ad id faciendum rogare, inducere, illiſque hoc mandare, in quantum valemus: & ad hoc debet noſtrum quilibet Elector cæteris auxilium præſtare, ſine fraude, vt iſti nobis in his rebus auxilium & adiumentū præbeant, ídque propter neminem intermittant, & ob nullas prohibitiones, mandata, & interdicta, à quocunq; illa emanârint. Quod ſi præterea contingeret, vllam diſſenſionem aut dubium circa hoc negocium inter nos & cæteros Electores exurgere, quicquid nos tunc omnes vnanimiter, aut maior pars ex nobis ſuper hoc diffiniemus & ſtatuemus, debet vim habere, idque tenere debemus ſine dolo. Omnia prędicta capita, & vnum

quodlibet horū singulatim promisimus bona fide, & promittimus præsentibus hisce literis, per nostrum principalem honorem; nec non jurauimus hoc ipsum ad Sanctos, pro nobis & nostris Successoribus certum ac firmum tenere, & nullatenus contrauenire, neque hoc intermittere, nullo modo, sicuti in præcedentibus expressum ac scriptum est. Quod si per nos ipsos aut quēuis alium possemus, valeremus aut efficeremus, vt alius aliquis nobiscum in hanc confœderationē veniret; is jurare debet atque promittere, se omne hoc præstare velle, sicut in præcedentibus & sequentibus scriptum continetur. Quod si verò nos aut nostrum aliquis, quod Deus auertat, adeò peruersus esset, vt vel nos, vel alius quisquam illorum contra faceremus, aut facere vellemus, contra hoc tueri nos nō debemus, vlla dispensatione, absolutione, relaxatione, abolitione, nec alio vllo beneficio, quocunque nomine hoc appellatur, vndecunque aut quomodocunque id proueniat, & fiat per nostras aut aliorum hominum preces, aut, quod latinè vocatur, ex officio, neq;

ab

ab vlla superioritate, quæ sese in his intromittere vellet. Et debemus Deo ac mundo infames, infideles, & periuri esse ac vocari, vbi aut quocunque pacto contra faceremus, aut contra veniremus, vllo modo, omni dolo ac fraude in præscriptis omnibus punctis, articulis, & eorum singulis exclusis. Ac in verum testimonium præscriptorum damus has presentes literas Secreto nostro obsignatas, quæ datæ sunt Renis in Campo, Die Iouis post S. Margarethæ à Natiuitate Christi Anno MCCCXXXVIII.

35. Quæ quidem non eo fine dicimus, quod Auream Bullam infringere aut in dubium vocare propositum nunc sit, sed vt quilibet æquus rei arbiter judicare possit, quo Iure, quáue Iniuria Ludouici Imperatoris posteri, ab Electionis Iure per Conditorem Aureæ Bullæ fuerint exclusi; Et quod Ser.mo Bauariæ Electori, eiúsque familiæ ac maioribus optimum firmissimúmq; Ius ab antiquo, & quidem ante Conditam Auream Bullam, ad Electoratum competierit, quod vtique nullo Iure, nulla ratione, nulláue potestate, qualiscunque aut quàm plena tandem ea fuerit, citra manifestam iniuriam ipsi auferri aut tolli potuit, *vt præclare monuit Zas. con. 10. n. 7. vol. 2. vbi scribit,* Scio boni Principis potestatem ad tutelam subditorum & ad Iustitiam asserendam esse amplissimam; Cæterùm vt Iniuria subditis

 fiat,

fiat, illic Principis potestatem non agnosco sed Tyranni, id enim dicimur posse, quod honestè possumus. *tex. notabilis in c. fin. §. fin. de rescript. in 6. & in cap. homo 22. q. 2.* Nam quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & generaliter quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos, nec posse credendum est, *l. qui filius qui fuit ff. de condit. Instit.* Princeps enim à Deo constitutus est, vt faciat Iustitiam & Iudicium *inquit text. 3. Reg. cap. 10.* Proinde si fines & terminos Iustitiæ excedat, Principis nomine indignus est, *cap. scelus. 2. q. 1. zas. in l. 2. ff. de Orig. Iur. vbi in verb. ratum, dicit,* supremam quidem esse Principis potestatem, sed intra fines Iustitiæ conclusam, & quanto immensior est Principis potestas tanto magis æquitatem exigit & Iustitiam, quam inprimis colere & colendam præscribere debet, *vnde Iuuenalis Sat. 7.*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat, habetur.

In quo quidem puncto Relator nobis adstipulatur, & egregiè in toto scripto propugnat, Principem citra læsionem Iustitiæ Ius alteri auferre non posse.

36. Verùm quis non nouit, plura alia non admodum amica & laudabilia, Carolum IV. in inclytam Domum Bauaricam admisisse; quæ Nicolaus Spiegelius & alij adnotarunt, ipsáque Domus Bauarica magno suo damno sensit; Imò ipse etiam Palatinus Consiliarius Marquardus Freherus testatur; Palatinos à Carolo

Cæsare

Cæſare non paruos ad augendũ rem Palatinam fauores accepiſſe: Et Rupertum quidem Palatinum à barba Rufum & ad differentiam cognominis ſui ex Adolfo fratre Nepotis, prę-ſeniorem dictum, non ſine authoritate ipſius Caroli Imperatoris, Electoratum & ad eum ſpectantia, ſibi dum vixit retinuiſſe, ac ſummopere laborauiſſe pro Electoratu, Cæſaris Ludouici filijs ac hæredibus eripiendo, eámque ſuæ parti arrogando.

37. Sed hæc miſſa facio, cum ab alijs iam antè ſcripta ſint, & forſan alius ſit futurus locus aut occaſio ea fuſius enucleandi. Redeundo nunc ad Relationem & Auream Bullam (quam vnà cum Sigiſmundi Imperatoris diplomate confirmatorio Relator vſque ad n. 10. ſed inani labore huc tranſcripſit, & in laudes Palatinorum Comitum excurrit) exiſtimo cardinem rei & totius quæſtionis, circa verum & genuinum ſenſum capitis 7. Aureæ Bullæ verſari; hæc autem ſic habet:

38. Inter ſollicitudines illas innumeras quibus pro felici ſtatu Sacri Imperij, cui auctore Domino feliciter præſidemus, cor noſtrum quotidie fatigatur, ad hoc præcipuè meditatio noſtra dirigitur, qualiter deſiderata & ſalubris ſemper vnio inter Sacri Imperij Principes Electores jugiter vigeat, & eorum

corda

corda in ſincera cōcordia cōſeruentur, quorum prouidentia ſuo tempore orbi fluctuanti, tanto celerius tantóque facilius ſubuenitur, quanto inter eos nullus error ſurrepſerit, & purior fuerit Charitas cuſtodita, obſcuritate ſuccisâ, & Iure cuiuslibet dilucidè declarato. Sanè generaliter, longè latéque eſt publicum, & quaſi per totum Orbem notoriè manifeſtum, Illuſtres Reges Bohemiæ, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, & March. Brand. virtute Regni & Principatuum ſuorum, in Electione Regis Rom. in Cæſarem promouendi, cum ceteris Principibus Electoribus Ius, vocem, & locum habere, & vnà cum ipſis cenſeri, & eſſe veros & legitimos Sac. Rom. Imperij Principes Electores. Ne inter eorundem Principum ſecularium Electorum filios, ſuper Iure, voce & poteſtate præfata, futuris temporibus ſcandalorum & diſſenſionum poſſit materia ſuſcitari, & ſic bonū commune periculoſis dilationibus impediri, futuris (autore Deo) cupiētes periculis ſalubriter obuiare, ſtatuimus, & Imperiali auctoritate, præſenti lege perpe-

tuis

tuis temporib. valitura, decernimus, vt postquam ijdem Principes Electores seculares, & eorum quilibet esse desierint, Ius, vox, & potestas Electionis huiusmodi ad filium suum primogenitum legitimum Laicum, illo verò non existente, ad eiusdem primogeniti primogenitum similiter Laicum, & sine contradictione cuiuspiam deuoluatur. Si verò primogenitus huiusmodi absque hæredibus masculinis legitimis Laicis ab hac luce migraret, virtute pręsentis Imperialis edicti, Ius, vox, & potestas Electionis prædictæ ad seniorem fratrem Laicum, per veram paternã lineam descendentem, & deinceps ad illius primogenitum Laicum deuoluatur. Et talis successio in primogenitis & hæredibus Principũ eorundem Iure, voce, & potestate præmissis, perpetuis temporibus obseruetur: eâ tamen conditione & modo, vt si Principem Electorem, vel eius primogenitum, aut filium Seniorem Laicum mori, & hęredes masculos legitimos Laicos defectum ætatis patientes relinquere cõtingeret, tunc frater Senior eiusdem primogeniti, Tutor eorum &

Administrator existat, donec Senior ex eis legitimam ætatem attigerit, quam in Principe Electore decem & octo annos completos censeri volumus & statuimus perpetuò haberi, quam dum attigerit, Ius, vocem, & potestatem & omnia ab ipsis dependentia, Tutor ipse sibi totaliter cũ officio teneatur protinus assignare. Si verò aliquem ex huiusmodi Principatibus ipsorum, Imperio sacro vacare contingeret, tunc Imperator seu Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, de ipso prouidere debebit & poterit, tanquam de re ad se & Imperiũ legitimè deuolutâ; saluis tamen semper priuilegijs, Iuribus & consuetudinibus Regni nostri Bohemiæ, super Electione Regis in casu vacationis per Regnicolas qui Ius habent eligendi Regem Bohemiæ, facienda, juxta continentiam eorundem priuilegiorum & obseruatam consuetudinem diuturnam à diuis Romanorum Imperatoribus siue Regibus obtentorum, quibus ex huiusmodi sanctione Imperiali in nullo præiudicari volumus; Imò ipsa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni suo

tenore

tenore & forma indubiam tenere robore firmitatem.

39. Asserit ergo Relator, Auream Bullam & iam allegatum eius textum non nisi vnicum duntaxat casum & causam exprimere, ob quam possit vacare Electoratus & tanquam vacans ad Cæsaream Majestatem deuolui, ita vt de eo disponendi, ipsi facultas sit, si scilicet aliquem Electoratum vacare contigerit, finitâ totâ familiæ illius generatione; Cum ergo hic casus in proposito nondum euenerit, & manifestissimum sit, extare adhuc Comites Palatinos Rheni, qui ab illis ipsis, qui in Aurea Bulla, ad successionem sunt vocati, per rectam & paternalem lineam descendunt, & factum proscripti Friderici Palatini, suorúmque complicum non modò non approbarunt, sed & ab omni culpâ & crimine alieni sunt, adeóque prorsus innocentes, qualis pro tempore est prædictus Dux Neoburgensis ex linea Bipontina descendens, & in ea, quoad primogenituram natu maximus; Inde infert Relator, casum Aureæ Bullæ non euenisse, nec Electoratum, existentibus Agnatis descendentibus, vacare, sed prædicto Ser.mo Duci Neoburgensi Wolfgango Wilhelmo deberi.

40. Triumphum sanè canere posset Relator, si quæ ipse opinatur, & speciosè proponit, veritati & Aureæ Bullæ congruerent: sed quàm longè à vero aberret, cuiuis facilè patebit, si sensus & verba Aureæ Bullæ rectè examinentur & cum Iure conferantur.

Disponit Aurea Bulla clarissimè his verbis: Si verò aliquem ex huiusmodi Principatibus ipsorum

rum (*scilicet Electoratuum*) Imperio sacro vacare contingeret, tunc Imperator, seu Rex Romanorum qui pro tempore fuerit, de ipso prouidere debebit & poterit tanquam de re ad se & Imperium legitimè deuolutâ. Quia verò in hoc textu nihil constituitur de causa vel ratione, ob quam possit vacare aliquis Electoratus, quapropter ad Ius feudale recurrendum est, & causæ vacationis, caducitatis aut feloniæ, propter quas feuda (qualia sunt omnes Electoratus) aperiuntur, vacant, & ad Dominum directum reuertuntur, inde petendæ sunt, de quibus est tit. 5. & 17. Quibus modis feudum amittatur lib. 5. feud. & tit. 23. & 24. Quæ fuit prima causa beneficij amitt. lib. 2. feud. cum alijs. Vbi plures causæ recensentur beneficij amittendi, quas etiam in ordinem congesserunt Feudorum Commentatores *Henr. Rosenthal. in Synops. feudal. cap. 10. Henr. Bocer. tract. de Amißione feud. per tot. Ludolphus Schraderus tract. feud. par. 9. cap. 10. Curt. Iun. de feud. part. 4. Vdalricus Zas. de feud. part. 10. Eguin. Baro. lib. 3. de benef. Sonsbec. de feud. p. 12. VVesembec. de feud. cap. 10. Herman. Vulteius de feud. cap. 11. & alij ab his citati.*

41. Sed plures hæ causæ vniuersaliter ad duo genera reuocantur; Aut enim amittitur & vacat feudum culpâ vasalli, quæ consistit vel in committendo, vel in omittendo: Aut citra culpam, vt per mortem seu fini-

tam

tam generationem, per lapsum temporis præfiniti, atq; alijs similibus modis. Et quidem ex primo genere multæ sunt causæ, ob quas, si vel committēdo vel omittendo Dominus directus offendatur, beneficium ad ipsum Dominum redit, de quo sunt insignes, notabiles & nullâ arte eludendi textus suprà allegati in tit. 24. §. denique. Quæ fuit prima causa benef. amitt. lib. 2. vbi ait textus: Denique sæpe quæsitum est, Vasallo propter justam culpam à feudo cadente, vtrum ad Dominum, an ad Successorem Vasalli beneficium pertineat, sed hæc distinctio tam ratione, quàm moribus cōprobata est, vt siquidem Vasallus ita in Dominum peccauerit, vt feudum amittere debeat: Non ad proximum, sed ad Dominum beneficium reuertatur, vt hanc saltem habeat suæ Iniuriæ vltionem. Et in tit. 37. An ille qui interfecit fratr. Dom. sui. ibi in fin. Cùm autem ad Dominum respicit felonia, feudum tunc Domino aperitur.

42. Inter delicta autem quæ in Dominum feudi committuntur aut committi possunt, notum est, non esse maius vel grauius, quàm ipsum perduellionis & læsæ Majestatis crimen, quo quis contra fidem & Sacramentum Imperatori feudi Domino præstitum, coactis militibus scelestam init factionem, & hostili animo aduersus ipsum vel Remp. Romanam aliquid molitur,

cúmque de regno vel prouincia ſua deturbare laborat. *l. Quisquis C. ad leg. Iul. Majeſt. l. vlt. ff. eod. l. minore* 10. §. *1. ff. de quæſtionibus. Ludolph. Schrader. tract. feud. p. 9. cap. 8. n. 18. &* 19. *Hieron. Gigas de crim. læſ. Majeſt.*

Quî enim dignus ſit, beneficium habere ab eo, quem abiuratâ fidelitate, nefario auſu & hoſtili animo perſequitur, regniſque ſuis ac prouincijs exuere conatur? Accedit quod in illa ipſa Aurea Bulla ſub titulo 12. De his quibus vt indignis auferuntur bona feudalia, §. fin. in terminis ſancitur, Si quis (Vaſallus) contra Dominum ſuum fraudulenter agens, ſcienter eum inuaſerit, diffidatione quacunque præuiâ vel omiſſâ omnes pœnas illius ſanctionis (ſcilicet vt feudum amittat, & illud Domino realiter aſſignetur) incurrat.

Quod etiam Relator licet inuitus non diffitetur, dum ſub n. 29. ſcribit, In Aurea Bulla tres caſus expreſſos eſſe ſingulares, quibus quis dignitate ſimul & ſucceſſione Electorali carere debeat, quorum primus eſt, Si quis Bullæ contraire præſumpſerit, alter ſi feudi Dominum violenter inuadat, tertius denique ſi crimen læſæ Maieſtatis committat.

43. Cùm igitur liquidò conſtet ex clariſſimis Iuris feudalis textibus, ex ipſa Aurea Bulla, & Relatoris propria Confeſſione, Feuda non tantùm amitti & Domino

mino Directo aperiri ob finitam familiæ totius generationem, sed etiam ob perduellionis & Læsæ Majestatis crimen in Dominum feudi admissum;

Euidentissimè sequitur & infertur, allegatum caput 7. Aureæ Bullæ, quo generaliter statuitur, quòd Imperator vel Rex Romanus de Electoratu vacante tanquam de re ad se & Imperiũ legitimè deuolutâ, prouidere possit & debeat, intelligendum esse de omni casu vacaturæ, seu amissionis alicuius Electoratus tanquam feudi ad Imperatorem & Imperium pertinentis.

44. Quod ipsum etiam fatentur ij, qui in Auream Bullam commentati sunt, vt Gerlacus Buxdorfius dissertatione super Bullam Auream cap. 7. n. 87. vbi disertis verbis asserit, eam dispositionem de vacante Electoratu & libera Cæsaris dispositione, esse intelligendam de vtroque casu, videlicet, si contingat Electoratum vacare, siue ob finitam familiæ alicuius generationem, siue ob culpam, esséque exempla in recenti memoria, sed odiosa, innuens fortè ad Electoratum Saxoniæ à Carolo V. gloriosissimæ memoriæ Anno 48. die 24. Febr. (quo ipso die Ser.mus Bauariæ Dux Maximilianus felicibus & solennibus auspicijs, Elector renunciatus, restitutus & de feudo Electoratus à Cæsarea Majestate Ferdinando Secundo inuestitus fuit) simili ex causa translatum; *allegat etiam ibidem in hanc sententiam Hen. à Rosenthal. in Synops. feudal. cap.* 10. *conclus. 38. n. 32.*

45. Cui accedit, quod hæc absurda & à vero prorsus aliena Relatoris opinio, nec minimâ conjecturâ aut

rá aut verbulo ex Aureâ Bullâ colligi possit. Cùm tamen, si Caroli quarti mens fuisset, eũ tantũmodo casũ comprehendere vacantis Electoratus, quem Relator ex suo cerebro confingit, id profectò & facillimum factu & admodum necessarium fuisset; quandoquidem jure feudali aliud expresse statutum reperitur, atque ideo correctio Iuris priuantis Vasallum delinquentem in personam Domini feudo, per Auream Bullam induci debebat, quæ tamen correctio Iuris, cùm sit admodum odiosa, nullatenus fingenda sed fugienda est, nisi de expressa Legislatorum mente constet, Ita vt nec à contrario sensu per subauditiones aut tacitos Intellectus inducatur *l. 2. C. de Condit. in sert. l. conuenticula C. de Episc. & Cleric. gloss. sing. in c. cupientes § Quod si per viginti. ext. de elect. lib. 6. zas. cons. 4. n. 8. 10. 11. lib. 1.* Imò correctio Iuris communis adeò est odiosa vt nec in actu Principis sit præsumenda. *Sichard. cons. testam. 1. part. 3. n. 10. & n. 25. vbi ait*, quod specialiter lege non est expressum, id veterum legum, constitutionúmque regulis esse relictum.

Vnde meritò succedit vulgata regula, quod casus omissus censeatur dispositioni Iuris communis esse relictus *l. maritus C. de Procuratoribus l. ex his ff. de tut.* Et hoc maximè procedit in rebus & negotijs arduis, tunc enim quæ speciali prouisione digna sunt, si non exprimantur, haberi debent pro neglectis & non inclusis. *Mynsing. decad.* II. *respons.* I. *n.* 76. *Curt. Iun. cons.* 159. *n.* II.

46. Vnde quia in sæpe allegata Aurea Bulla,

cap. 7. causæ non exprimuntur, ob quas feuda & Principatus Electoratuum vacant, & ad Dominum directum redeunt, sed id solummodo disponitur vt eo casu, quo contingat vnum aut alterum ex Electoratibus vacare (videlicet ob causas in Iure feudali præscriptas) tunc Imperator vel Rex Romanus, qui pro tempore fuerit, de eo prouidere debeat, tanquam de re ad se & Imperium legitimè deuolutâ, satis perspicuè constat Auream Bullam Relatoris opinioni non tantùm non patrocinari, sed è diametro repugnare & causas amittendi Electoratus tanquam feudi Imperij, non ex Aureâ Bullâ, sed ex Iure & vsibus feudorum petendas esse.

47. Et sanè admiratione dignum est, Relatorem tam perspicacem, vt ipse sibi videtur, Iure consultum, in re perspicua & luce meridiana clariore, adeò caligare, vt etiam in principio suæ Relationis non vereatur audacter asserere, argumenta sua tam firma & solida esse, vt omnium assensum mereantur, nec quicquam contrà adferri possit, quod ad Iustitiæ, æquitatis, & conscientiæ normam examinatum subsistere queat; Sed quid reliqua eius argumenta ponderis habeant, inspiciamus.

48. Allegat Relator, vt suprà diximus, sub n. 29. tres casus singulares in Aurea Bulla exprimi quibus quis dignitate simul & successione Electorali carere debeat, & tamen ijs in casibus non excludi insontes & crimine vacantes Agnatos. Primus est in cap. 1. Aureæ Bullæ, Si quis nempe Princeps Elector, aliúsue Princeps cuiuscunq; conditionis aut status feudum vel Principatum tenens à Sacro Imperio, constitutionibus Bullæ contrauenire præsumpserit, cæteri Electores eum suo exclu-

dant consortio, ipséque loco, dignitate ac Iure Electorum careat.

Sed quid hoc ad propositam causam? Nos in hoc casu non versamur, nec de eo vertitur Quæstio; vel si maximè in eo versaremur, concludendum esset Relatorem, vel eum cuius causæ patrocinatur, omnibus suis Iuribus ac feudis cecidisse, eò quod ipse Aureæ Bullæ suâ sinistrâ interpretatione contrauenire, & quasi vim inferre, factúmq; Augustissimi & Iustissimi Imperatoris omniúmq; S. Romani Imperij Electorũ impugnare non erubescat, quod, vt suprà dicebatur, sacrilegij instar esse lex sanxit; caueat ergo Relator, ne alienis inhiando, sua bona perdat, & Clienti suo malè patrocinetur.

49. Alter casus est in cap. 14. vbi sancitur, hos Vasallos seu feudatarios, qui Dominos malitiosè diffidant, atque inimicitias, grauia illis damna inferendo, denunciant & in fraudem Dominorum feuda, ne illis adimi possint, alijs renunciant: aut etiam omissâ tali renunciatione contra Dominos suos fraudulenter agunt & scienter eos inuadunt, &c. feuda amittere, infames existere, banno Imperiali subiacere, nec vllo modo de illis rursum inuestiri debere.

Sed & hic textus nihil facit pro Relatore, nam Agnatos Innocentes non admittit ad feuda, Vasallis sic adempta, sed prauas consuetudines quæ irrepserant, eò quod Vasalli sua feuda prius refutarent, Dominósque postea diffidarent, fraudem legi inferentes, Aurea Bulla tollit; Cæterùm autem quoad amissionem & deuolutionem feudorum omnino conformis est Iuri, ideóq; secundum illud etiã intelligi debet, vt videlicet talis Vasallus

sallus Domini sui diffidator, Rebellis, inimicitias denuncians, damna inferens, bona violenter inuadens, vitæ & fortunarum eius insidiator, & capitalis inimicus, tam ipse quàm omnes Agnati à feudis excludantur, vt ita Dominus hanc habeat saltem Iniuriæ suæ vltionem, *iuxta text. in tit. 24. §. fin. Quæ fuit prima caus. benef. amitt. & c. 1. An ille qui interfecit fratrem, cum similib.* Quia Vasallus Dominum assalire, aut arma contra eum sumere, aut etiam illi inimicitias denunciare non potest sub pœna amissionis feudi *c. 1. tit. 17. Quib. mod. feud. amitt. & c. 1. Quot testes sint neceß. ad proband. Simon Pistor vol. 1. cons. 2. per tot.*

50. An ergo hic textus Relatoris adminiculetur opinioni & sui Clientis causæ, penes alios esto judicium, cum Fridericum proscriptum, vasallum Cæsaris, arma contra Dominum sumpsisse, vitæ & fortunis insidiatum atque ideo vel etiam ex hoc textu Electoratum ad Cæsaream Majestatem deuolutum fuisse, etiam mente ac oculis orbus judicare & videre possit.

51. Tertius casus est in cap. 24. Aureæ Bullæ, in in quo pœnæ criminis Læsæ Majestatis statuuntur aduersus eos, qui de nece Sacri Romani Imperij Electorum, aut alterius eorum, cùm pars corporis Imperatoris sint, conspirauerint, aut etiam affectu, qui in hoc crimine abominando pro effectu iudicatur, hostile quid machinati fuerint.

Atqui etiam totus hic textus ex Iure communi &

l. quisquis C. ad leg. Iuliam Majestatis, transsumptus, ad offensam Electorum Majestatem applicatus atque extensus fuit, vt nempe tentantes aut perpetrantes talia contra Sac. Rom. Imperij Electorem siue Ecclesiasticum siue sæcularem, gladio feriatur, bonis eorum fisco addictis, filij verò ab communi hæreditate proximorum sint alieni, perpetuò egentes, infamia notati, & ab honoribus exclusi, illísque sit mors solatium, & vita supplicium, *prout fusius habetur in d. l. quisquis C. ad legem Iul. Majestatis.*

De feudis autem, eorúmue amissione nihil penitus in hoc textu reperire est. Igitur Relator etiam hîc Nodum in scirpo quærit, & dum Iura de crimine læsæ Majestatis eiúsque pœnis statuta, cum Iuribus & delictis feudalibus, fiscum & confiscationes cum Felonia & feudorum priuatione, Fideicommissa item & Iura primogenituræ cum feudis confundit, rei & opinioni suæ aliquem colorem, imperitis maximè speciosum, aspergere studet.

52. Distinguenda ergo sunt hæc omnia & constabit dictis nostris veritas, Relationis aduersæ autem falsitas & error; Constat ex Iure, Feloniam vasalli in Dominum feudi commissam, in eo differentem esse à crimine læsæ Majestatis, & latius ipso patere si respiciamus ad Dominum Feudi, & non ad Fiscum. Namque in confiscatione bonorum ob crimen læsæ Majestatis, perduellionis, aut simile, non tamen à Domino feudi sed alio fiscum habente factâ, etsi omnia delinquentis bona fisco inferuntur, & pœnæ ob criminis atrocitatem adeò exasperantur, vt etiam filij (quod quidem in crimine

fellonia

læsæ

læsæ Majestatis singulare est) in quibus paterni criminis metuuntur exempla, à proximorum hæreditate sint alieni, infamiâ paternâ notati, perpetuâ egestate sordentes, & ab honorib. exclusi paternæ luant partem pœnę, attamen fidei commissa, feuda antiqua & auita, atque similia bona affecta, & restitutioni obnoxia, fisco in tantum non cedunt, vt proximis Agnatis, quibus ex pacto & prouidentia Maiorum, & primæuâ constitutione Ius quæsitum est, omnino auferantur, sed in certis solummodo casibus, fructus talium bonorum ad tempus vitæ ipsius delinquentis, fisco inferuntur, ipsa bona autem Innocentibus Agnatis & Ius ad illa habentibus relinquuntur, cùm fiscus extranei loco habeatur; Eaque omnia quæ per contractum, aut per vltimam voluntatem transferri possunt in extraneum, in fiscum similiter transeunt per publicationem bonorum. Quæ autem in extraneum nec per cōtractum, nec per vltimam voluntatem transferri possunt, ea nec in fiscum deuoluuntur, *l. cùm ratio* § *si in libertinum ff. de bon. damnat.* Hinc ex ista regula, fideicommissaria bona quæ per hæredem grauatum, in vita possunt alienari in extraneum, per publicationem bonorum, in vita delinquentis transeũt etiam in fiscum *l. statuis.* § *Cornelio ff. de Iur. fisci.*

53. Quod etiam de feudis improprijs, hæreditarijs & in extraneum transmissibilibus, atque bonis cēsualibus seu Emphyteuticis affirmat Bart. *in l. si finita* § *si de vectigalibus ff. de damn. inf. Cynus in l. 2. C. de lib. & eor. lib. Glossa ordinaria, ab omnibus approbata in*

l. 1. C. de bon. liber. M. Anton. Peregr. de Iure fis. lib. 5. n. 68. cum seqq.

54. Bona autem, quæ Iure primogenituræ in primogenitum deuoluuntur, & nec inter viuos nec per vltimam voluntatem alienari possunt, fisco nō cedunt, *Peregrin. d. loc. n. 97. Boër. decis. 268. n. 6.*

55. Quod ipsum etiam de fidei commissis, & quæ fauore familiæ alienari expresse prohibentur, vt nempe in fiscum non transeant, sed bonis delinquentis publicatis, ea per illos de familia statim vindicari possint, statuitur, *in l. Imperator, vbi Bart. ff. de fidei commiß. libert. Peregr. d. loc. n. 98. cum seqq.*

56. Similiter & feuda antiqua familiæ, regalia & maximè Electoralia quæ in extraneum alienari nequeunt, sed ex pacto & prouidentia, atque etiam Iure primogenituræ, familiæ competunt, bonis delinquentis publicatis, non ad fiscum, (nisi delictum fuerit commissum in feudi Dominum habentem simul Iura fisci) sed ad Agnatos deuoluuntur, *per text. in c.* 1. §. *denique in 2. respons. Quæ fuit pr. ca. benef. & in c.* 1. §. *Si Vasallus culpam, tit. si de feud. def. c. 1. Si Vasallus feud. c.* 1. *de eo qui interf. frat. M. Anton. Peregr. de Iur. fisci lib. 5. c.* 1. *n. 106. & 108.*

Etsi non desunt Authores, qui existimarunt ob crimen læsæ Maiestatis tanquam nimis enorme, & à regulis Iuris exceptum, etiam bona familiæ feudalia, pro Iure vtilis dominij, seruato Iure directo patrono feudi, ad fiscum deferri, ad maiorem subditorum terrorem, corúm-

corúmque audaciam compeſcendam, ne quid temerè contra ſuos Principes ad euerſionem & turbationem ſtatus moliantur. & ita in regno Franciæ obſeruari teſtatur Boër. citatus à Pereg. *lib. 5. tit. 1. de Iure fiſc. ſub n.* III.

57. Atque in hoc caſu & genere delicti ſeu criminis perduellionis non in Dominum feudi, ſed alium nempe aliquem ex Electoribus commiſſi, loquitur expreſſiſſimè Aurea Bulla in c. 24. quod tamen nihil prorſus ad Rhombum facit; cùm nos non verſemur in caſu confiſcationis, nec Imperator Electoratum Palatinum tanquam publicatum & fiſco ſuo delatum, ſed ſibi vt Feudi Domino, ob grauiſſimam Vaſalli Friderici feloniam apertum aſſeruerit, licet alia bona quæ dictus Fridericus proſcriptus tanquam allodia poſſedit, fiſco Imperatoris fuerint illata *ex diſpoſitione dic. l. quiſquis C. ad leg. Iul. Majeſtat. & cap. 24. Aureæ Bullæ.* Quatenus enim Imperator, vt ſummus Princeps à Friderico Palatino tanquam ſubdito, per crimen perduellionis offenſus fuit, eatenus bona offendentis allodia ad fiſcũ tranſeunt: Quatenus autem felonia & offenſa in Imperatorem vt Feudi Dominum, contra præſtitum fidelitatis Iuramentum commiſſa fuit à Friderico vt Vaſallo, eatenus feuda ipſius Imperatori debentur excluſis omnibus Agnatis: quod vtique nec dici, nec de Iure fieri poſſet, ſi offenſus & fiſcum habens, non ſimul etiam feudi Dominus eſſet, talis enim ſolummodò bona delinquentis allodialia publicare & fiſco ſuo inferre poſſet, quod ſingulariter notandum.

58. Vnde

58. Vnde in Relatoris hæc omnia impertinenter huc allegantis & à num. 38. vſque ad num. 47. extra quæſtionem diſputantis ſententiam, aliàs manibus pedibúſque tranſimus & lubentes adſtipulamur, Ius illud primogenituræ, quod in Aureâ Bullâ Domui Palatinæ, & reliquis Electoralibus familijs lege in perpetuum valiturâ tributum eſt, ipsúmque Electoratum ob crimen læſæ Maieſtatis, aut aliud delictum, non in perſonā Domini directi admiſſum, ſub publicatione bonorum non contineri nec fiſco cedere.

59. Nos verò in hoc caſu & ſaltu minimè verſamur, nam Fridericus Palatinus proſcriptus crimen perduellionis, & læſæ Maieſtatis atrociſſimum in Auguſtiſſimum Imperatorem tanquam Dominum directum, à quo feudum Electoratus cum bonis, dominijs, terris & ditionibus annexis, Iure beneficiario accepit, eóq; nomine Sacramento fidelitatis ipſi obſtrictus, & toties tā paternè, ſolicitè, & amanter monitus fuit, multifariam, & exemplo poſt hominum memoriam vix audito perpetrauit, vnde non tantùm vt ſubditus Cæſareæ Maieſtatis, & Sacri Romani Imperij, vigore conſtitutionum tanquam Rebellis, proſcriptus & omnibus bonis allodialibus fiſco Cæſareo poſtmodum illatis, exutus, ſed tanquam Vaſallus inobediens, refractarius, Inimicus, contemptor & Inuaſor Domini ſui, atque infidelis, feudis ſuis, abſoluto & pleno Iure ad Auguſtiſſimum Cæſaſarem deuolutis, priuatus fuit.

60. Hic Rhodus eſt, hic ſaltandum Relatori erat, & vigore Aureæ Bullæ probandum, in hoc caſu feloniæ & criminis perduellionis in Dominum feudi patrati,

Electo-

ElectoratumPalatinum cum bonis & Iuribus ipsi annexis amissum, non ad Dominum directum, sed Agnatos vasalli perduellis pertinere, contra clarissimos textus *in sæpeallegato c*. I. §. *denique tit*. 24. *Quæ fuit prima ca. benef. c*. I. *tit. si vasall. culp. c*. I. *de eo qui interf. fr. Dom. in vsibus feud. c. felicis de pœn. in* 6. *Clement*. I. *tit. eodem*.

61. Ex his etiam elucet, quantum hallucinetur & à veritatis scopo aberret Relator sub n. 45. vbi scribit, Ius illud successionis & primogenituræ quod in Aureâ Bullâ Domui Palatinæ tribuitur, hoc proprium & peculiare habere ex lege perpetuò valiturâ, vt cum ipsâ natiuitate vocatis, Ius prioritatis & præeminentiæ tribuat in omnem potestatem transmissibile, & ita comparatum, vt nisi legis authoritate & consensu totius Imperij, aut eius cuius proximè interest, ad alium transferri nullo modo possit, & in ijs quæ Iure primogenituræ deferuntur, nō hæreditatis, sed solius generis, prosapiæ familiæ, natiuitatis, genituræ, sanguinis, stipitis, lineæ, gradus, & proximitatis habendam rationem, ita quidem vt linea primogeniti præualeat lineæ secundogeniti, & huius linea anteponatur lineæ tertiogeniti, & ita deinceps.

62. Etsi enim ista se ita habeant, quoad ordinem & modum succedendi in Regijs & Electoralibus dignitatibus secundum Ius primogenituræ, illúdque Ius vt ait Relator, nec Imperator, nec Papa alicui possit auferre. Tamen quia hîc non est quæstio de modo, ordine aut serie succedendi, sed de Iure & causis amittendi feudi Ele-

di Electoratus Palatini: ideóque nihil ad rem dicit Relator, & quod in controuersia est, ipsíque probandum erat, nempe Electoratum Palatinum cum ditionibus ipsi annexis, per feloniam & crimen perduellionis à proscripto Palatino in Dominum feudi commissum, non aperiri & deuolui Domino, hoc ipse assumit & præsupponit, inepto prorsus, sophistico & præpostero ordine.

63. Nemo siquidem inficiatur, ordinem & modum recensitum atque in Aureâ Bullâ præscriptum, in successione Electoratum secundum Ius primogenituræ obseruandum esse; Verùm vbi res vel dignitas feudalis, quæ tali successioni secũdum Ius primogenituræ, fideicommissi, Maioratus, &c. subjacet, per feloniam amittitur, & ad Dominum reuertitur, tunc clarum est expirare & feudum, & fidei commissum, & maioratum & omnem in eo succedendi ordinem quoad illam familiam. Et tali casu non censetur Imperator alicui Ius suum auferre, sed ipse delinquens in Dominum feudi, se & familiam suam feudo indignam reddere, & ad Dominum transferre, vt Dominus eam saltem habeat Iniuriæ suæ sibi illatæ vltionem. *per sæpe allegatum textum in c.* 1. §. *denique, tit.* 24. *Quæ fuit pr. ca. benef. amitt. lib.* 2. *&* c. 1. *de eo qui interf. fr. Do. cum similib.*

64. Illud porro quod Relator sub n. 10. confundit, Ius nempe Electionis & Archidapiferiæ, cum Principatibus, Dominijs, Iuribus & honoribus connexis, toti generi ac familiæ Palatinorum, omnibúsque ac singulis inde descendentibus, sub modo perpetui alicuius fidei commissi esse tributum, nullatenus Iuri consenta-

neum eſt, nam alio Iure cēſentur res allodiales fidei cō-miſſo, Maioratui & primogenituræ ſubiectæ, alio feudales: hæ enim, ſi fideicommiſſo, Maioratui aut primogenituræ ſubiaceant, manent tamen feudales, & ſecundum naturam ac normam Iuris feudalis judicantur, ita, vt ſi caſus eueniat quo feudum per feloniam commiſſum, Domino cedat, illicò etiam Maioratus, primogenitura & fideicommiſſum in re feudali conſtitutum neceſſariò ceſſet, & nulli amplius reſtitutioni ſubiectum ſit. Quod ſecus eſt, ſi res allodialis & libera fidei commiſſo, primogenituræ aut Maioratui ſubiaceat; cum enim ob eam rem allodialem, nullo vinculo fidelitatis & Sacramenti obligetur fideicommiſſarius ſicut Vaſallus, ſequitur etiam eam non amitti, quemadmodum feudum amittitur.

65. Inde, etſi concedamus ſuo modo Electoratum Palatinum, familiæ & ſtirpi Palatinæ eâ conditione & ſub modo perpetui alicuius fideicommiſſi, vt aſſerit Relator, ita tributum eſſe, vt in eo non niſi vnus primogenitus, aut ſenior & proximior Agnatus ſecundum lineam primogenituræ ſuccederet, Attamen Palatini omnes & ſinguli, poſſeſſores Electoratus & Archidapiferiæ vt rei feudalis ad Imperatorem & Imperium pertinentis, ſemper fuerunt Vaſalli Cæſareæ Maieſtatis, eíque arcto fidelitatis Sacramento juxta normam legis feudalis & formulam in Imperio, in conceſſionibus Regalium & Electoralium feudorum receptam, aſtricti, in quas ſi peccent, juxta eas plectantur, & beneficio careant, qui eo ſe indignos reddiderunt; Dominus autem tam enormiter offenſus illud habeat in vltionem Iniu-

riæ ſuæ, Quæ diſtinctio, cùm à Relatore obſeruata non fuerit, mirum non eſt, ipſum in eos errores & confuſionem Iurium fuiſſe prolapſum.

66. Sicut eodem vitio etiam laborat, quod ſub num. 46. adfert Relator, extare videlicet, & in promptu eſſe pacta gentilitia familiæ Palatinæ de Anno 1545. 1551. 1553. 1557. quibus continetur, quod deficiente Friderici lineâ Electoratus Palatini ſucceſſio ad eum deuoluenda ſit, qui ſecundum Auream Bullam ſenior & proximior in ea lineâ primogenituræ fuerit.

Iam enim ſufficienter & ad oculum demonſtrauimus, ordinem ſuccedendi in Electoratu Palatino, aut quouis alio feudo, ſiue is præſcriptus ſit ab Aureâ Bullâ, ſiue per vltimam voluntatem, ſiue per pacta gentilitia, ſiue fiat Iure Maioratus, ſiue primogenituræ, ſiue fideicommiſſi, aut alterius modi, nihil prorſus tollere, derogare poſſe naturæ & qualitati feudi, aut Iuri feudali, nec Domino directo quicquam per hæc præiudicari, quin eueniente caſu feloniæ, & delicti in eum commiſſi, feudum ad ipſum reuertatur, *per Iura & Doctores ſupra allegatos*. Et tralatitium eſt, pacta inter alios inita, tertio nullum præiudicium facere poſſe. *tot. tit. Cod. Res inter alios actas, &c.*

67. Quæ porrò ſub n. 35. 36. & 37. de Innocentiâ, fidelitate, diſpendijs & benemeritis Ser.[mi] Ducis Neoburgici in Cæſ. Majeſt. recenſet Relator, non ſunt huius loci, nec enim Encomiaſten, ſed Iureconſultum hîc agimus, nec enumeratione aut comparatione meritorum, ſed Iurium certamus; Alioquin non deforet

campus amplissimus excurrendi in aliorum, maximè verò Ser.mi Bauariæ Ducis & Electoris Maximiliani, præclarissima & toti orbi nota merita, quibus sua Electoralis Ser.tas sibi obstrinxit Cæs.am Majest. restituendo ipsi Regna & prouincias à Rebelle Palatino ademptas; atque Romanum Imperium liberando illud à tot infestis hostibus, vltimam illi intentantibus ruinam: Catholicos dein Electores, Principes & Status conseruando eorum status ac ditiones, propulsandóque insultus & injurias hostium: vniuersam insuper Ecclesiam, propagando & propugnando sacrosanctam Religionem; omnes denique bonos & fideles S. R. Imperij subditos; amoliendo ab illis tot pericula, ruinas, incendia, deprædationes, homicidia, furta, stupra, & extremũ, quod illis imminebat exitium, pro quibus sua Electoralis Serenitas, proprios status, sanguinem, vitam & fortunam, raro virtutis, integritatis, constantiæ, magnanimitatis & fidelitatis exemplo, extremis exposuit periculis. Ita vt, quæ rebellis Cæs. Majest. ac Rom. Imperij hostis Fridericus Palatinus euertit, ea Ser.mus Elector Maximilianus resarciuerit, quin imò auxerit; ac proinde si benemeritis agendum sit aut certandum, Suæ Ser.ti Electoratus præ cæteris meritissimò fuerit debitus & collatus. At iam dictum est, non meritis sed Iuribus hic agi, nec ideò cupimus Ser.mi Domini Ducis Neoburgẽsis fidelitati, integritati, & meritis quæ pro Cæs. Majest. gessit, quidquam derogatum, quin Sua Ser.tas aliíque omnes Electores, Principes ac status, qui in causa justissima ex parte Cæs. Majest. steterunt, debitam constantémque fidelitatem in ad-

uerſis comprobarunt, de Sua Majeſt. & Ro. Imperio optimè meriti fuerint.

68. Verùm non ideò inferendum, vti Relator ſub. n. 36. & 37. ſiniſtrè judicat; Ser.mum Ducem Neoburgicum, ab Electoratu Palatino præter omne fas & meritum fuiſſe excluſum, & hac ratione non calcar virtutis in Imperio promouendæ, ſed materiam potius delictorum augendorum dari: Nam Cæſ. Majeſt. vt diximus, & infra fuſius demonſtrabitur, de Electoratu, cum bonis, dominijs & ditionibus annexis, tanquam de feudo ad ſe & ſacrum Imperiũ pertinente & deuoluto, Iure ſuo optimo diſponere potuit, debuit, & diſpoſuit, juxta ordinationem Aureæ Bullæ, Conſtitutionem Imperij, Legúmq; feudalium. Qui autem Iure ſuo vtitur, nemini vtique Iniuriam facere cenſetur, *l. Nullus ff. de reg. Iuris c. cum Eccleſia ext. de Elect.*

69. Et Iuris executio non habet iniuriam *l. Iniuriarum* §. *1. ff. de Iniur.* Proinde iniquè & non ſine graui calumnia, inſimulatur Auguſtiſſ. juxta ac Iuſtiſſ. Imperator, qui Iure ſuo vſus, Fridericum perduellionis & læſæ Majeſt. reum, & feudis indignum proſcripſit, atque de Electoratu vt feudo ad ſe pertinente, prudentiſſimè & juſtiſſimè diſpoſuit. Æquitas quidem ſuadet, Innocentes & benemeritos præmijs afficiendos, vt contendit Relator: ſed eadem & major æquitas poſtulat, vt Dominus feudi non afficiatur Iniuriâ, & ſi fiat, ei debeatur ſatisfactio & vltio, atque hoc publicè prodeſt, vt diſcant vaſalli ab Iniuria Dominorum ſuorum abſtinere. *ſæpe d. c.* 1. §. *denique, Quæ fuit pri. ca. ben. am.*

70. Ne

70. Ne autem tam duriter & contra legum præscripta (vti falsò affirmat & optimo Cæsari calumniosè impingit Relator) Ducem Neoburgicum habitum, sed dignitate ac feudo Electorali meritò exclusum esse, luculentiùs constet, placet rem paulò altiùs rimari.

Suprà dictum est, textus Iuris feudalis *in c. 1. §. denique, Quæ fuit pr. ca. ben. am. & in c. 1. tit. An ille qui interf. fr. Dom. sui*, apertissimis verbis disponere, vt, si Vasallus delictum commiserit in personam Domini directi, feudum reuertatur ad Dominum, exclusis Agnatis : sin in alterius personam, feudum ad Agnatos deuoluatur : Qui ambo textus adeò clari sunt, vt non immeritò Sonsbecc. *de feud. c. 13. n. 4.* Hartman. Pistor. *quæst. Iur. l. 2. part. 1. q. 15. n. 26.* asseruerint, nihil apertiùs, clariùs & dilucidiùs dici posse.

71. Ratio autem quæ Conditores vsuum feudalium eò induxit, est, Quia iniquissimũ & à naturali ratione prorsus alienum videbatur, si Dominus, ex cuius mera liberalitate & beneficio feudum Vasallo concessum fuit, vicissim à Vasallo ferre debeat damna, summũ contemptum, iniurias grauissimas, denique vitæ & bonorum extremum periculum, nullúmque habere ad feuda gratuitò concessa, regressum & Iniuriæ suæ vltionem, sed solummodò suis damnis parare proximis agnatis emolumentum, & viam ad feuda. Inde salubriter, prudenter & ad æquitatis normam statutum fuit, vt tali casu, quo Dominus à beneficiario & Vasallo tam enormiter offenditur, ad eum feudum deuoluatur, & ita hanc saltem habeat Iniuriæ suæ vltionem.

72. Altera

72. Altera ratio quæ communiter à Doctoribus traditur, eſt, Quod à principio cùm aliquod feudum conſtituitur & vaſallo conceditur, eo pacto & conditione conceſſum cenſeatur, donec, quouſq;, & quamdiu ipſe Vaſallus & eius deſcendentes Domino fuerint grati, obedientes, & fideles; ſin autem vnus ex illis quandocunque contrauenerit, & feloniam in Dominum, præſertim grauem & enormẽ, commiſerit, tunc feudum, excluſis omnibus ex familia primi acquirentis deſcendentibus, quomodocunque vocentur, ad Dominum reuertatur. Siquidem ſi hoc non fieret, ſemper poſſet Dominus contemni, Iniurijs affici, ludibrio haberi, forétque familia vaſalli interim ſecura, ita vt feudum illi nullatenus poſſet auferri, ſi ſaltem vnus aut alter ab Iniuriâ abſtineret; quæ omnia vt abſurda & ab æquitate aliena, ita pactis & conditionibus feudorum ſunt contraria, vt videre eſt, apud Andr. Gail. *tr. de pac. pub. c.* 13. *n.* 11. vbi ait, primæ conceſſioni ſeu Inueſtituræ tacitam quandam conditionem ineſſe, vt eatenus omnes agnati primo acquirenti ſuccedant in feudo, ſi accepti beneficij memoriam non deponant, séque non ingratos erga primum concedentem, eiúsque ſucceſſores oſtendant; & hanc tacitam conditionem haberi pro expreſſâ, & tacitum idem operari quod expreſſum. Idem affirmant Iacob. de S. Georgio *tr. feud. in verb. dictique vaſalli n.58.* Curt. Iun. *de feud. p. 5. n. 2.* Zaſ. *de feud. p.* 10. *n. 105. & alij plurimi ab And. Gail. citati.*

73. Namque feudalis donatio, *vt inquit Sonsbec. de feud. c. 13. n. 3.* eſt quaſi modalis donatio, quæ reuo-

reuocatur ſtatim non ſequente modo *l. 1. C. de donat. quæ ſub mod.* Et ſic feudum ſemper eius eſſe naturæ ait, licet non exprimatur in Inueſtitura. Vnde non habent quod Iure cõquerantur Agnati, quod eis immerẽtibus, ſine culpa & delicto ſuo Ius acquiſitum pacto Maiorum & prouidentia, auferatur, quandoquidem Ius illud, prima conceſſio eis non niſi cum hac conditione largiatur, ſi nullus Vaſallorum in Dominum deliquerit. *Sonsbec. & alij dictis locis.*

74. Et ſanè cùm pœna ſemper debeat eſſe æqualis & commenſurata delicto, nec conueniat mitiorem & leuiorem eſſe vindictam quàm culpam *l. ſancimus C. de pœnis.* Et ex apertiſſimis Iurib⁹ feudalibus ſæpe allegatis conſtet, delicto maximè tam atroci in Dominũ commiſſo, ei applicandum eſſe feudum, vt habeat hanc ſaltem Iniuriæ ſuæ vltionem: Quæſo, mi Relator, quæ iſthæc eſſet pœnæ commenſuratio aut Iniuriæ vindicatio & vltio, ſi feudum mox ad Agnatos Vaſalli deueniret? Quid grauius crimine læſæ Maieſtatis in ipſum feudi Dominum commiſſo? quod profectò leniſſimè vindicaretur, ſi feudum ad Agnatos deuolueretur: Condignè autem, ſi poſteri & Agnati feudo in perpetuum cárituri ſint. Vnde facilius à delicto abſtinebit Vaſallus, qui non ſibi tantùm, ſed Agnatis etiam feudum auferendum fore, cognitum habeat. *Sonsbec. dic. loc.*

Idque omnium maximè procedere, ait And. Gail. *de pac. pub. c. 13. n. 16. in crimine Rebellionis & læſæ Maieſtatis ex primo capite l. Iuliæ.* **Si quis aduerſus Cæſa-**

rem vel Imperium Arma moueat, cùm tanta huius criminis ſit atrocitas & indignitas, vt etiam toti familiæ perpetua quædam Ignominiæ nota inuratur: vt ob eam cauſam meritò à ſucceſſione feudi, ipſi Agnati excludantur, Atque ita obſeruatum eſſe teſtatur Gail. ibid.

75. Horſum pertinent quæ de hac ipſa quæſtione tractans Gilken. *de præſcript. part. 3. cap. 13. n. 208. & ſeq.* tradit,

Non fuiſſe ſine juſtâ cauſâ ſancitum, vt & Agnati à feudo arceantur; tùm ne familiæ infeſtæ, rurſum cum pari fortaſſe euentu feudum cogatur Dominus committere, læſo enim vno tota familia quodammodo laceſſita intelligitur; tùm quod ad Domini ſecuritatem pertineat, vt beneficia ſua ibi collocentur, vt hæc & ſimilia cenſent: tùm denique quod veriſimile ſit, tali modo Vaſallum faciliùs ab iniuria temperaturũ ſi animaduertat totam familiam periclitari, *juxta text. in l. Iure prouiſum C. de fabricenſ. lib. 11. Bartol. Bald. Farin. & Vaſq. à Gilken. citati.*

76. Deinde ſi olim certis perſonis feudum circumſcribi potuit, vt nõ vltra Nepotes, deinde nec vltra fratrem, tandem ne vltra quartum gradum collateraliũ porrigeretur, *c.* 1. §. *cum vero, de his qui feud. dar. poß. c.* 1. §. *hæc quoque de ſucceß. feud.* Cur lex feudalis ſtatuere non potuit, ne, committente Vaſallo in Dominũ, feudum ad Agnatos deuoluatur? quandoquidem tali caſu non poſſit dici, Agnatos alienæ culpæ ſupplicium ferre, vt exiſtimat Relator, ſed potiùs ex euentu condi-

tionis

tionis (delinquentis Vasalli possessoris in Dominum) nihil ipsis quæsitum esse, *arg. C. decem stipulatus* 116. *ff. de verb. oblig.*

77. Vt jam prætereamus æqualitatem inter Dominum & Vasallum, qui propter ingratitudinem & iniurias vltro citroque ab altero alteri illatas, ijsdem pœnis tenentur. Quando enim Dominus deliquit in Vasallum, cadit proprietate sua, vt ea nunquam vel ad se, vel agnatos suos sit reditura; Ergo idem & multo magis, ob maius à Domino acceptum beneficium seruandum est, si Vasallus in Dominum delinquat, *Sonsb. de feud. c. 13. n. 3. Menoch. cons. 99. n. 133. & seqq.* Vnde Relatori vno verbo respondemus, licet à Duce Neoburgensi absit culpa, adesse tamen causam, *vt respondit Alban. in Addit. ad Bart. in leg. Iure prouisum C. de fabricens. l.* 11. *per c. quoniam* §. *Si verò. vt lite non contest. c. 2. ext. de re Iudic.*

78. Demùm licet concederemus, legem eam esse duram, (cùm tamen ex jam dictis æquissima sit) quia verò scripta, licet dura, omninò seruanda est, *vt respondit Vlpian. in l. prospexit 12. ff. Qui & à quibus manumissi.*

79. Nec obstat, quòd Relator in speciem & colorem suæ opinionis sub num. 10. & 11. obijcit, Quòd nempe ex legibus, edictis, & sanctionibus pragmaticis constet, Ius Electionis & Officium Archidapiferiæ cum Principatibus, Dominijs & Iuribus ipsi annexis, quod

Comitibus Palatinis ad Rhenum competit, non vni Principi Palatino, qui id primus acquiſiuit, ſed & omnibus & ſingulis eius poſteris ac ſucceſſoribus, adeóque generi & familiæ toti in infinitum ita tributum, vt in eo non niſi vnus primogenitus, aut ſenior & proximior Agnatus ſecundùm lineam primogenituræ ſuccederet, cæteris verò ſolâ ſpe ſuo ordine & loco in prædictis Bullis præſcripto ſuccedendi relictâ; Idque non ex mera ſummorum Principum liberalitate & gratia, ſed ex pacto & prouidentia Maiorum, Comitum Palatinorum Rheni, qui propter virtutes ſuas ſingulares & res domi foriſque fortiter & præclarè pro ſalute Imperij geſtas, honore illo, Iure & ordine ſuccedendi in perpetuum obſeruando, digni ſint iudicati, &c.

Nam ſuprà abundè & ad oculum demonſtrauimus, Auream Bullam & ordinem ſuccedendi ſecundum Ius & prærogatiuam primogenituræ in Electoratibus per Carolum IV. introductam, circa feloniam & amiſſionem feudi nihil omnino diſponere aut immutare, ſed id tantùm ſtatuere, Vt quia Ius primogenituræ nec Iure ciuili, nec feudali cognitum erat, *Tiraquell. de Iur. primogenituræ q. 4.* in Imperio Romano quoad Electorales dignitates, ſecundum Ius & ordinem primogenituræ, juxta modum ibi præſcriptum, ſucceſſio fieret.

80. Secundò quia circa Ius primogenituræ variæ erant controuerſiæ; An deficiente primogenito, ſecundogenitus, aut cæteri Maiores ſibi aliquod Ius prærogatum poſſent aſſerere; Item, An Nepos patruum excluderet. Et, An Iuri repræſentationis in Collaterali-

bus locus esset; deinde, an Clerici in eo Iure succederēt. *Tiraquell. d. l. q. 40. 41. & 44.*

81. Ad has & similes controuersias, quæ inter Principes Electores facilè grauia, & saluti Imperij Romani periculosa bella ciere possent, tollendas, salubriter, vt suprà monuimus, prouisum est in dictâ Bullâ, vt Ius primogenituræ, deficiente lineâ primogeniti, ad secundogenitum, deinde tertiogenitum & Agnatos natu Maiores protenderetur, Nepotes patruis præferrentur, vnus & non plures succederent, & Clerici penitus ab hac successione arcerentur.

82. Vt proinde controuersiæ de amissione feudorum Electoralium, an ea ob feloniam in Dominum commissam, ad ipsum vel proximos Agnatos deuoluantur, ex Iure feudali vtpote, priore & per Auream Bullam, vtpote posteriorem, hac in parte incorrecto, sint decidendæ, juxta tritam regulam, posteriores leges ad priores esse trahendas, & secundum eas interpretandas, *l. sed & 27. ff. de legib.* Et quidem in specie quoad Constitutiones Imperij, eas secundum Ius commune intelligi, declarari, restringi, & ita accipi debere, vt quanto minus fieri potest, Iuri communi derogent, tradit Ioach. Mynsing. *decad. 15. resp.* 1. *n. 31. & seq.* Quod autem hic casus noster secundum Ius commune feudale sit decidendus, ostendunt manifestè Constitutiones Imperij, locis suprà citatis.

83. Quid verò Iura feudalia in casu, commissæ in Dominum feloniæ, maximè verò criminis læsæ Majestatis, disponant, Soli & Lunæ patet, supráque jam de-

monstratum est. Et quia Iura feudalia generaliter, & sine vlla distinctione de feudis quibuscunq; disponunt quòd delicto in Dominum perpetrato, ad ipsum deuoluantur: Modus item succedendi secundum Ius primogenituræ, Maioratus aut fideicommissi, in bonis feudalibus, naturam feudi non immutet, atque in omnibus feudis, quomodocunque in ijs succedatur, Agnati ex prima Inuestitura, non acquirant Ius purum re ipsa, sed tantùm in spe, conditionatum, qualificatum, & hoc onere affectum, vt quamprimum Vasallus possessor Dominum offenderit, delictum priuatione dignum perpetrando, feudum in vltionem iniuriæ ad Dominum reuertatur, idque secundum naturam feudalis dispositionis esse, nec referre an ex pacto & prouidentia, Iure familiæ, sanguinis, aut alio modo succedatur. *Menoch. cons. 99. n. 194. & 138. cum seqq.* Dicendum omninò est, quod distinctio Relatoris nihil rationis & fundamenti habeat; Lex enim generaliter loquens, generaliter est intelligenda, & vbi illa non distinguit, nec nos distinguere debemus *l. præses ff. de off. præ. l. de pretio ff. de publ.* atque oratio indefinita æquipollet vniuersali, *Couar. variar. resol. l. 1. c. 13. n. 8.*

84. Æquè parum iuuant causam Ducis Neoburgici, allegata Majorum merita, Imò in Relatorem retorquetur hoc argumentum. Sicut enim propter merita Maiorum obtinuerunt Palatini feudum Electorale, & commoda sub certo pacto & conditione perpetuæ fidelitatis, ita æquum est, vt propter delicta contra iuratam fidelitatem commissa, ijs careant, vt contrariorum

eadem

eadem sit disciplina; & verum sit, quod locutus est Deus per Prophetam; Si Iustus confisus in sua iustitia fecerit iniquitatem, omnes justitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. *Ezechiel 33.* vltima enim culpa nocet *l. si per emptorem ff. de Action. empt.* Et ideo demerita vltima magis ponderantur, quàm præcedentia merita, *Bald. in c. 1. Si Vasall. feud. priuet.*

85. Quòd verò sub num. 19. Relator ait; Ea demum bona vacantia dici, in quibus successor omnis deficit, & nullus ex qualibet lineâ successor superest, *per l. 4. C. de bon. vacant.* In hoc casu autem superesse adhuc plures Agnatos, Ducem Neoburgicum & alios, vnde secundum Auream Bullam in c. 7. non posse dici, Electoratum Palatinum vacare, vt Cæsar de eo possit disponere.

86. Id nihil habet ponderis. Nam etsi verum sit, bona tunc dici vacantia in quibus successor omnis deficit; sed non solum tunc, nec id probatur ex alleg. tex. l. 4. Ibi enim Imperator non dicit, bona tunc demum vacantia dici, si nullus successor hæres sit relictus; sed solùm hoc; bona vacãtia tunc debere fisco inferri, si nullus successor existat, ita vt vocula (tunc) referatur nõ ad verba (vacantia bona) sed ad illationem bonorum in fiscũ. Deinde non versamur nos in terminis bonorũ vacantiũ allodialium ex defectu successoris, sed bonorum quorum directum Dominium pertinet ad alium; quare deuoluto

uoluto per delictum vtili Dominio ad Dominum, non minùs id vacare dicitur, cùm extinguatur & consolidetur cum directo, Idque fit multifariam; Et cum Aurea Bulla vtatur verbo (legitimè deuoluta) videtur innuere omnes modos, quibus feudum legitimè ad Dominum deuoluitur, nec se obstringere ad vnicum modum, quādo nempe succedit fiscus, qui modus non quadrat ad feuda, & tamen dict. text. in l. 4. loquitur solùm de successione.

87. Deinde non inusitatum est in Iure feudali, feuda dici vacare, tam deficiente mascula stirpe per mortem, quàm etiam per delictum in Dominum admissum, *juxta singularem Doctrinam Matth. de Afflict. in c.* 1. §. *morib. n.* 3.

Sic etiam beneficium & officium vacare dicuntur, non tantùm per mortem, sed etiam per renunciationē, *Georg. de Cubed. part.* 1. *Lusit. decis.* 138.

88. Sed & ex ipsis verbis Aureæ Bullæ manifestè deprehenditur, eam sub hoc vocabulo (vacare) non tantùm casum mortis aut deficientis familiæ, sed etiam delicti & priuationis voluisse comprehendere; dum subnectit, Saluis tamen semper priuilegijs, Iuribus, & consuetudinibus regni nostri Bohemiæ, super electione Regis in casu vacationis per regnicolas facienda. Quibus verbis comparat vacationem Electoratus Bohemiæ, cum vacatione aliorum Imperij Electoratuum, vt videlicet eo casu vacationis, quo possunt & debēt regnicolæ regni Bohemiæ prouidere

uidere per Electionem de nouo Rege, tali etiam casu Imperator possit & debeat de alijs Electoribus vacantibus, tanquam de rebus ad se & Imperium legitimè deuolutis prouidere; Certum autem est & multis exemplis comprobatum, Quòd Regnicolæ Regni Bohemiæ non tantùm in casu mortis, quo aliquis Regum Bohemiæ defunctus fuit, sed etiam cùm ob delictum, culpam vel desidiam (sicut de Wenceslao testantur historiæ) regno abdicatus & priuatus fuit, nouum, & alium regem, Imperiiq; Electorem elegerint. Ergo pari modo & casu debebit & poterit Imperator de reliquis Electoratibus, si aliquem vacare contigerit, vel per Extinctionem familiæ, vel per priuationem & propter delictum, juxta ordinationem dictæ Bullæ, quæ in vtroque casu vtitur hoc vocabulo (Vacare & Vacationis) nullámque circa modum vacādi differentiam facit inter regnum Bohemiæ, & reliquos Electoratus Imperij, nisi in eo solùm, quod in Regno Bohemiæ Electio sit facienda per Regnicolas, qui Ius habent eligendi Regem Bohemiæ; de reliquis verò Electoratibus vacantibus Imperator vel Rex Romanus possit & debeat disponere & prouidere, tanquam de rebus ad se & Imperium legitimè deuolutis, quod argumentum singulariter notandum est.

89. Tandem concedamus, ita tamen ne veritati fiat præjudicium, Auream Bullam non comprehendere casum deuolutionis ex felonia, nihil tamen infertur; non enim omnia Iura feudalia voluit Bulla complecti, sicut nec disposuit, nisi in cap. 14. de casu feloniæ in Dominum commissæ, aut amissione feudi ex crimine perduellionis prouueniente, Cuinam tunc sit feudum Ele-

ctoratus applicandum, sed solummodo circa Ius primogenituræ, & ordinem succedendi ad euitandas lites inde nascentes. Quapropter sufficit quòd Iure feudali & alijs Constitutionibus Imperij, feudum Electoratus sit ad Cęsarem propter feloniam legitimè, legibus sic statuentibus, deuolutum, nec erat opus alia dispositione, vt ineptè cauillatur Relator n. 41.

90. Hinc patet quàm impertinenter Relator sub n. 45. & 46. iterum alleget Auream Bullam, ac successionem generis, prosapiæ, familiæ, primogenituræ, &c. Nam & de Iure feudali descendentes præ collateralibus, & hi non aliter quàm secundum gradus prærogatiuam, proximiores ante remotiores, ad feuda dignitatum vocantur. Inde tamen non inferes, delinquente possessore Vasallo in Dominum, deuolui ad eos, qui aliàs ad successionem vocantur, aliàs nunquam foret locus felonię & dispositioni *c. 1. §. denique Quæ fuit pr. c. benef.*

91. Vnde sicut simul stant & vera sunt, hæredes vasalli secundum communem naturam feudi & Iuris feudalis dispositionem ad successionem vocantur, seruatâ gradûs prærogatiuâ, in perpetuum, sed excluduntur delinquente Vasallo in personam Domini, & feudum deuoluitur ad ipsum Dominum; Ita quoque simul stare possunt & verissima sunt, manente semper Aureâ Bullâ intactâ & inuiolatâ. In feudis Regalibus Electoralibus primogenitum ante alios Agnatos seniores vocari ad successionem, juxta Ordinem primogenituræ præscriptum, sed delinquente Vasallo Electore aduersus Imperatorem, feudum reuerti ad Dominum, exclusis Agnatis vt habeat vltionem Iniuriæ suæ.

Vel

Vel ostendat Relator, si tam perspicax Aureæ Bullæ interpres est, quo in loco Aurea Bulla, aut Diploma Sigismundi Imperatoris correxerit & sustulerit dispositionem, §. *denique, &c.* 1. *An ille interf. fr.* Aut si hæccce dispositio nullibi correcta & mutata reperitur, Cur eam stare & in Electorum personis locum habere prohibet, *contra l. præcipimus* §. *fin. C. de appellat?*

92. Minus opis ipsi adferunt pacta gentilitia familiæ Palatinæ de An. 1545. 1551. 1553. & 1557. quæ nec Iuri publico derogare, nec directo Domino, aut cuiuis tertio quidquam præjudicare possunt, vt suprà diximus.

93. Illud porrò, quod sub n.42. de publicatione & confiscatione bonorum, adfertur, quod in ea non veniant bona fideicommissi onere affecta, & restitutioni obnoxia, qualia sunt feuda antiqua, nihil ad propositum facit, cùm nos non versemur in casu confiscationis bonorum, vt diximus, sed deuolutionis feudi ad Dominum directum, qui quidem etiam, & quidem eminentissimè Ius fisci habet, & ob atrocissimum crimen Læsæ Majest. multifariam in se commissum, feudum Electoratus sibi apertum, optimo Iure occupauit.

94. Neque juuant Relatorem clausulæ Aureæ Bullæ toties repetitæ (Inuiolabiliter & perpetuis temporibus seruetur; Item, Nulli hominum liceat huic perpetuò valituræ legi contraire, &c.)

Hæ enim clausulæ intelligendæ sunt de casu, quo de Aurea Bulla eo loco disponit, minimè verò gentium trahendæ, extendendæ & ampliandæ ad casum extraneum, in Aurea Bulla intactum, incogitatum, omissum &

Iuris feudalis dispositioni ac decisioni relictum, *ex Doctrin. Abbatis & Canonistar. in c. Sedes ext. de rescript. Sichard. cons.* 1. *de contractib. num.* 9. & 10. vbi dicunt, clausulam generalem referri tantùm ad specificata, vel specificatis similia, nō ad ea quæ sunt diuersæ naturæ & alterius generis. At jam ostendimus, nos hîc in alijs terminis, & quæstione longè diuersa versari.

95. Illud huic capiti annectere & à Relatore quærere libet, An labore suo, quamuis casso, & adductis ex Aureâ Bullâ pro Duce Neoburgico Argumentis, non magis patrocinetur proscripti Friderici filijs Innocentibus, aut saltem fratri Philippo Ludouico, in reatu, quantum nobis constat, non comprehenso, nec etiam à Cæsa. Majest. proscripto? Nam si vera sunt ea quæ Relator in scripto suo passim allegat & affirmat, quod nempe Electoratus Palatinus ita competat familiæ Palatinæ, vt omnes censeantur principaliter vocati, adeóque transeat de vno ad alium Iure sanguinis, stirpis, & ex pacto ac prouidentia primi acquirentis, tunc sanè secundum aliquos Doctores filij Innocentes, aut frater delinquentis & proscripti Palatini, Iure non poterunt excludi, *vt videre est apud Rosenthal cap.* 11. *conclus.* 7. *n.* 1, *& in gloss. lit. a. & conclus.* 13. *n.* 13. *Menoch. cons.* 303. Quod etiam de bonis fideicommissarijs, vt filij tali casu, ob crimen læsæ Maiest. à patre commissum, ab ijs non arceantur, *tradit Sebast. Guazin. de confisc. bon.* 15. *concl. limit.* 26. Vt nec etiam à bonis Maioratus, &

alijs

alijs quæ ipsis Iure proprio competunt, *Lud. Mol. de Iur. primog. lib. 4. c. 11. n. 32. & seqq.*

96. Sed satis ex Iure constat, has & similes formulas (Concedo tibi & tuæ familiæ, de vno in alium, de primogenito in primogenitum perpetuò) siue eæ in literis Inuestiturarum, siue in Aureâ Bullâ reperiantur, circa feudi naturam nihil immutare, sed eas per se & tacitè de Iure feudali inesse, siquidem in omni feudo succeditur Iure sanguinis, ex pacto & prouidentia primi acquirentis, & non Iure hæreditario, quod de Iure feudali omnino incognitum est. Ideóque expressum in tali casu non plus operatur quàm quod tacitè inest, *vt post Camerar. disertè tradit Hartman. Pistor. q. 16. n. 30. part. 1. lib. 2. dec. in l. Actus legitimi n. 10. ff. de reg. Iur. Menoch. cons. 99. n. 191. & 22.* Nec Aurea Bulla in allegato cap. 7. quidquam statuit, quid eo casu Iuris sit, Quando Princeps Elector Crimen læsæ Majest. committit, nefariè & perfidè aduersum Imperatorem arma mouendo, vitáque, prouincijs & Imperio eum exuere conando, An tunc Electorali dignitate & annexis Iuribus feudalibus priuandus, & cui tunc amissa feuda applicanda, Agnatísne Iuris primogenituræ capacibus, aut Imperatori tanquam feudi Domino. Sed id solummodo, vt suprà diximus, prouidet Bulla, qua ratione ad præcauendas controuersias, bella & scandala, quæ inter Principes oriri possent, secundum ordinem & Ius primogenituræ in perpetuum (intellige si familia perpetuò viuat, aut feudo per feloniam non cadat) succedendum sit.

97. Inde consequens est, quod tales formulæ expressè aut tacitè, in Inuestituris comprehensæ nihil obstent, quin omne feudum, secundum suam naturam & vi primi pacti, in casu feloniæ in Dominum commissæ, ad ipsum deuolui debeat, alioquin nunquam foret locus decisioni *c. 1. §. deniq. Quæ fuit pr. c. benef. amitt.* nec vnquam haberet Dominus feudum in vltionem Iniuriæ suæ, *Sonsbec. 6. c. 13. n. 6. limit. 3. Menoch. dic. cons. 99.*

98. Maximè cùm semper inseratur clausula, (saluis Iuribus Feudi, siue Curiæ) aut si non inseritur, tacitè subintelligitur, & operatur, vt Ius Domini quod ex natura feudi est, tam in casu deficientis lineæ, quàm commissi feudi, saluum sit & reseruatum; de natura feudi autem est, conditio illa, Si Vasallus Domino fidelis fuerit, & nihil contra fidelitatis Sacramentum in eum commiserit, &c. Vt suprà diximus; *ita Menoch. dic. cons. 99. n. 195. Zas. cons. 12. n. 86. lib. 1. Schrader. de feud. part. 5. cap. 2. num. 52.*

99. Alterum quod ex Relatore quærere lubet; Si Aurea Bulla (Palatinis vtique admodum fauorabilis) illis semper tam sancta & inuiolabilis fuit, & piaculum in eam peccare tam grande est, Cur Fridericus secundus Philippi Palatini Electoris filius, post obitum fratris Ludouici primogeniti, sine liberis defuncti, suos ex fratre Ruperto secundogenito Nepotes, Ottonem Henricum & Philippum, quibus secundum dispositionem Aureæ

Bullæ

Bullæ & ipsius Relatoris mentem, Electoratus debebatur, excludere ausus fuit? An non tunc hoc ipso facto, quo dictæ Bullæ contrauenit, Iure suo, vt fatetur ipse Relator, cecidit? Aut si impune Auream Bullam violare fas ipsi fuit, Cur Augustissimo Imperatori secundum Auream Bullam, Constitutiones Imperij, & leges feudales agere, judicare, & feudum, ob atrocissimas sibi à Friderico Palatino illatas Iniurias, & grauissima damna, occupare, & velut de re ad se legitimè deuolutâ disponere nefas sit? Videat ergo, quo Iure, quâ fide, aut conscientiâ suos errores defendere & excusare velit, consultius autem foret, emendare.

100. Tertium est quod à Relatore intelligere cupimus; Si Ius ad Electoratum in spe tantùm alicui competens, nec Imperator nec Papa auferre potest, vti asserit ipse Relator numero 90. atque addit num. 111. Imperarotiam Majestatem id neque ex plenitudine potestatis, secundùm receptum inter liberos germanos morem, facere posse, ita vt ij, qui contrarium dicunt, per gulam mentiantur: Quomodo excusari aut defendi possit factum Caroli IV. qui Ius ad Electoratum, Ludouici Bauari Imperatoris & ejus posteris non tantùm in spe, sed reipsa competens, idque Iure hæreditario à Majoribus suis, postmodum diuisione, pactis conuentis & Iuramento roboratis, nec non Electorum authoritate ac consensu confirmatis quæsitum, ipsis adimere, & in Palatinam gentem transferre præsumpsit, nullâ Iuris, æquitatis, necessitatis aut potestatis ratione id suadente, nec etiam, ex mente Relatoris, permittente; nisi dicere velit, Sit pro ratione voluntas, quæ profectò plus affectui quàm Iustitiæ tribuebat. Atq; hæc de primo capite.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

101.

AD secundum caput quod attinet, in quo sub num. 47. & seqq. conatur Relator astruere, Serenissimo Duci Neoburgico, vi simultaneæ Inuestituræ, aliquoties concessæ & confirmatæ, deberi Electoratum Palatinum; siquidem in ea non modò pacta successoria specificè & nuncupatim confirmentur, sed expresse statuatur, vt deficiente illa linea masculâ Palatinâ, quæ hactenus Electoratum possedit, successio illa Electoralis præ omnibus alijs, eueniente casu, ad dictum Ducem Neoburgicum liberè, & sine impedimento quolibet & contradictione sit deuoluenda.

102. Posset Relatoris argumentum prorsus impertinens, vnico verbo dilui, & ad id responderi; Hanc simultaneam Inuestituram & omnes eius confirmationes, vt patet ex literis & sensu earum apertissimè, tantummodo loqui in eum casum, si contingat totam lineam Friderici Palatini deficere & extingui, quòd tunc vigore huius simultaneæ Inuestituræ seu expectatiuæ, debeat succedere Dux Neoburgicus, qui casus nondum euenit, nec nostra quæstio in ijs terminis versatur, proinde Argumentum ad forum non facere.

103. Sed rem paulò altiùs repetendo, sciendum est variè accipi simultaneam Inuestiturã. De Jure enim communi feudorum, possunt duo aut plures Vasalli simul inuestiri, nullo adiecto pacto vt sibi inuicem & reciprocè succedant, quo casu si vnius linea deficiat, alter simul vel simultaneè inuestitus non succedit, sed eius

pars

pars aperitur Domino: sin autem addatur pactum vt sibi inuicem succedant, tunc non ad Dominum, sed alterius simul Inuestiti lineam deuoluitur feudum. Ita vt si contingat vnam partem committere feloniam, illius portio Domino non aperiatur, cùm censeantur quasi duo diuersa feuda, quo casu, vnus simul inuestitus non potest præiudicare alteri. Atque de his simultaneis Inuestituris sunt text. *in c.1. de fratribus de eod. benef. inuest. & c.1. de duobus fratribus Inuest. à Capitan. Rosenthal. c.11. q.2. & c.6. q.49. n.3. & q.69. n.32. & q.14. Hartmann. Pistor. p.2. lib.2. q.20. 21. & 22. Vult. Schrader. & alij.*

104. Alio & secundo modo potest fieri simultanea Inuestitura, Quando quis nullum Ius habens; nec à primo acquirente descēdens, obtinet à Domino simultaneam Inuestituram; aut licet sit Agnatus, inuestitur tamen de feudo tanquam nouo.

105. Tertiò si quis quidem à primo acquirente descendat, & feudi capax sit, sed feudum sit hæreditarium, & proinde vereatur, se, quandoquidem hæres vltimò defuncti possessoris non sit futurus, à feudo exclusum iri, proinde sibi per simultaneam inuestituram, & expectatiuam vigilat & cauet, vt succedere possit: Quod fortè inde natum est, cùm in Germania, secundū quosdam Doctores, omnia ferè feuda, ex consueto stilo sint hæreditaria, retinentia tamen naturam feudi masculini, quia Inuestituræ concipiuntur pro Vasallo, eiúsque hæredibus, *Rosenthal. c.2. q.33. n.3. Pistor. p.1. lib.2. q.3. n.59.*

106. Quarta species simultaneæ Inuestituræ est, quæ à quibusdam nominatur Saxonica, introducta ad conseruandum Ius Agnationis, ex eo, quod secundum Iura Saxonica, nullus Agnatus in feudo, etsi sit ex pacto & prouidentia, succedat, nisi sit cum ipso Vasallo possessore simul inuestitus, licet ipse alioqui de feudo, viuente possessore nihil participet. Eáque simultanea Inuestitura non solùm conseruat, vt diximus, Ius Agnationis & futuræ successionis; sed etiam efficit, vt si contingat simultaneè Inuestitos dispari gradu esse, succedãt, non secundum gradus prærogatiuam, sed secundum lineas & Ius Longobardicum, & de hac simultaneâ Inuestiturâ tradit Pistoris *dic. loc. & Schrader. cons. 9. n. 52. lib. 1.*

107. Si nunc examinemus Domini Ducis Neoburgensis simultaneam Inuestiturã, palàm est, eam nec de prima specie posse intelligi, cùm ipse cum primo acquirente non fuerit simul inuestitus, vt habeat Electoratum pro indiuiso; nec de secunda, quia fatetur se non vt extraneum, sed vt Agnatum fuisse inuestitum de feudo familiæ antiquo.

Superest ergo vt accipiatur vel de tertia, vel de quarta specie, per quam inuestitus nihil noui acquirit, sed id tantùm in pactum deducit, quod ipsi priùs Iure Agnationis & primæ Inuestituræ competebat; videlicet spem illam solam succedendi, postquam casus euenerit, manente interim possessione feudi, & omni conditione fruendi, apud Vasallum & Agnatum priùs inuestitum. *Vti tradit Facultas Ingolstadiens. in cons. apud Goden. cons.*

conſ. 16. n. 1. & ſeqq. Hartman. Piſtor. lib. 2. part. 2. n. 13. & 30. citatis in hanc rem Iſernia, Aluar. & Curt.

108. Hæc ſimultanea Inueſtitura nihil noui tribuit, ſed tantùm conſeruat Inueſtito Ius, quod antè habuit, & taliter Inueſtitus æquiparatur, quoad cauſas amiſſionis, cæteris agnatis.

Vnde etiam dicta Inueſtitura non vocatur ſimpliciter Inueſtitura ſimultanea, ſed cum adiuncto (Expectatiuæ) Atque ideo dici nequit, quod benè notandum, Sereniſſimo Duci Neoburgico ex ea tale Ius quæſitum, vt eſſet principalis Vaſallus, æquale ac principale Ius habens de præſenti, quales ſunt, cùm duo ab initio de feudo aliquo ſimul inueſtiũtur ſinguli principaliter ſimul, cum, vel abſque pacto inuicem ſuccedendi, juxta primã & ſecundam ſpeciem Inueſtituræ ſimultaneæ ſupradictam, de quo loquitur text. *in c. tit. de frat. de nouo benef. Inueſt. c. 1. §. Sin autem tit. de his qui feud. dar.* Sed potiùs Ius ei tributum præ alijs Comitibus Palatinis, ſuo tempore & loco ſuccedendi, ídque ſatis ſignificant illa verba adiuncta (Expectanz, Anwarttung) quæ declarant, Duci Neoburgico per hanc Inueſtituram nihil aliud quæſitum, quàm ſpem ſuccedendi in caſu Inſtrumenti expreſſo, ſcilicet, ſi contingat lineam Comitum Palatinorum Friderici, omnem deficere. Dictio enim cum alia poſita, interpretationem ſuam ſumit, ſecundum quod magis conuenit cum illa. *Bart. in relect. 1. n. 6. ff. de off. cur Cæſ.*

109. Quapropter hæc ſimultanea Inueſtitura propter adiuncta verba (Expectanz, Anwarttung / ꝛc.)

 potius

potiùs judicati debet *juxta c. 1. §. moribus. Si de feud. defunct. controuers. fuerit inter Dom. & Agn. Vt etiam in specie Iurid. facult. Ingolst. consil. 16. n. 15. apud Goden.* Vbi, quando simultanea Inuestitura fit ijs, qui aliàs proximi agnati sunt, cum hac cautelâ expressâ vel tacitâ, vt Agnatus vel proximus defuncto, feudum possideat & fruatur, cæteri sint tantùm sub spe succedendi: tûc Agnati ita simultaneè inuestiti nihil noui acquirût, sed id duntaxat in pactum censetur deductum, quod priùs erat debitum.

110. Est insuper animaduertendum, hanc Ducis Neoburgici Inuestituram passim in Relatione appellari spem succedendi, quam etiam habent Agnati: non tamen inde sequitur, casum delicti in ea comprehendi, & Dominum feudi Jure suo excludi, cum hoc esset remittere futurum dolum, quod fieri nequit, *Rosenthal. c. 6. conclus. 23. n. 1. facit decisio Georg. de Cabed. Lusit. decis. 132.* vbi expectatiua de aliquo beneficio vel officio in casum vacantiæ per mortem, non extenditur ad alios casus vacantiæ.

111. Hinc ergo euidenter apparet, eam nullatenus operari, vt delinquente Vasallo, & committente in Dominum Crimen perduellionis, Dominus cedere Agnato, & à feudo excludi debeat. *Vt videre est apud And. Knichen de vestitur. pact. lib. 1. c. 2. n. 110. cum seqq. vbi n. 155. scribit*; Nihil igitur aduersæ parti conducit distinctio, Iure sanguinis succedere & proprio, Aut

feudum

feudum concessum esse genti vel familiæ, vel sub formula, pro se & filijs cũ facultate, vt vnus succedat alteri. quia in feudis Agnati semper succedunt Jure generis, & sic verbum (generis) nihil aliud importat, quàm verbum (Agnatis) vti explicat Menoch. *cons. 99. n. 19. 192. & 194.*

Ex hoc verò minimè sequi, *inquit Menoch.* Agnatum, delinquendo in ipsum Dominum, Agnato præiudicare non posse. *Idem docet Thom. de Marin. de feud. ex pact. & prouid. tit. 2. p. 2. n. 92.*

112. Vnde satis liquidò constat, quòd sæpe allegata Inuestitura simultanea Ducis Neoburgensis, quæ solùm concepta & data est, in euentum & casum quo linea Palatina finita generatione omnino deficiet, vt videlicet tunc Dux Neoburgicus, aut eius hæredes ad Electoratum Iure Agnationis suæ admittantur; nihil omnino faciat ad forum, cùm non versemur in casu deficientis lineæ Palatinæ per mortem, sed delicti atrocissimi & & criminis læsæ Majest. in Dominũ commissi, & ob id feudi ad eum deuoluti; de quo nec verbulum in prædicta Inuestitura Neoburgica reperire est.

113. Et quòd huiusmodi simultaneæ Inuestituræ seu Expectatiuæ, nisi in omnem euentum & casum expresse factæ fuerint, non sint extendendæ ad casum vacantis feudi per delictum; Ratio est, tùm quod tales Inuestituræ sint stricti Iuris, & inde ad casum suum restringi debeant, *vt in terminis tradit Zas. de feud. p. 6. n. 22.*

Tùm quòd Dominus præstando consensum, non censeatur remittere feloniam, & Ius suum Dominicale, nec ea præsumptio recipienda sit, qua delicturum aliquem præsumitur, quod inciuile esset, *Zas. cons.* 12. *n.* 88. *lib.* Hinc dicit Schenk *in c.* 1. §. *Item si duo fuerint. n.* 12. non præsumendum esse, Dominum sensisse etiam de casu delicti in concessione huiusmodi Inuestituræ. Quæ præsumptio tunc maximè locum habet, quando adijcitur clausula (Saluo Iure Domini) sicut hoc casu in confirmatione Cæsaris Matthiæ, clausula illa (Saluis nostro & Imperij Iuribus) Instrumento à Relatore producto, expresè inserta reperitur, quæ quidem, licet non expressa esset, tacitè subintelligenda foret. *Zas. dic. loc. n.* 86.

114. Quòd autem Imperator eo ipso tempore, nimirum Anno 1620. quo Dux de Ducatu Neoburgico solenni ritu inuestitus fuit, & Fridericus Palatinus cum suis complicibus, in bannum & pœnam læsæ Majest. incidit, ore & scripto professus fuerit, se nihil habere causæ aut scrupuli, quo minus ipsi Duci suas literas simultaneæ Inuestituræ confirmet, nihil omninò opitulatur causæ ipsius Ducis. Nam posito, eam professionem aut promissionem, vt appellat Relator, quam tamen non vidimus, ita factam, exinde non sequitur, ipsum Ducem per hoc fuisse simultaneè inuestitum, multa enim tractantur quæ non perficiuntur. Et tritum est, ex declaratione tali vel pacto nudo nullam dari actionem, vt in specie de feudi promissione tradunt Aluar. *c.* 1. §. *fin. n.*

1. de

5. *de Nou. form. fidelit.* Iacob. de S. Georgio *tr. feud. verb. Inuestiui. n. 8.* Zas. *de feud. part. 6. n. 12.* Præpos. *c. 1. § fin. de Noua form. fidelit.* Curt. *de feud. 2. part. princ. n. 34. arg. l. nuda 26. ff. de donat. cum similib.*

115. Atque hoc etiam ex eo elucet, quòd cùm sæpedictus Dominus Dux Neoburgicus de Ducatu suo, vt asserit Relator, solenni ritu fuerit Inuestitus, atque vnà Inuestituram Electorátus simultaneam, & quidem enixè petierit, eam tamen non obtinuerit, quam Imperator non recusasset, nec recusare potuisset, nisi hostilium machinationum Friderici Palatini paulatim cõscius, de felonia tunc cogitasset; proinde tantum abest vt hoc telum Relatoris, quidquam nobis officiat, vt in ipsius jugulum potius retorqueatur.

116. Tertiò, quid Duci Neoburgico prosit isthæc jactata nuda declaratio aut promissio confirmationis Inuestituræ simultaneæ, cùm etiam ipsa Inuestitura & confirmatio, si subsecuta fuisset (vtpote quæ nihil noui ipsi tribuat, & præcisè in terminis successionis deficiente lineâ Friderici consistat) nihil prorsus ipsi opitularetur, eáque sicuti omnes præcedentes confirmationes, vt expressissimè apparet ex tenore literarum, cõtineret clausulam (Saluis suo & Imperij Iuribus) per quam Imperator sibi & Imperio omne Ius in quemcunque casum competens, reseruat, vt suprà ostensum est.

Mirum sanè est, Parentem Ducis Neoburgici sibi in hunc casum feloniæ in Dominum commissæ, & aperturæ Electoratus, per Inuestituram non æquè vigilasse &

pro-

prouidiffe, ficut fecit in cafum deficientis lineæ Friderici, & magis mirum, Ducem Neoburgicum Anno 1620. cùm jam fubodoraretur hanc aperturam & feloniam, id non feciffe: fed cùm Ius fibi refiftere & rem difficilem fe petituros fcirent, maluerunt abftinere quàm iniqua petendo, fibi negare.

117. Quocirca cùm Duci Neoburgico, vigore Agnationis & Inueftituræ, non aliud Ius fuccedendi, nifi fit extincta linea Friderici Palatini, & nullum delictum in Dominum perpetratum (quo cafu feudum ad ipfum Dominum, exclufis agnatis, reuerti optima ratione inductum fuit) non eft quod de inclementiâ Clementiffimi Cæfaris, aut de beneficio fibi abfque culpâ ablato, conqueratur; qui enim Iure vtitur fuo, nemini facit iniuriam; Neque vlla iniquitas hic verfatur, etfi repellantur Agnati, cùm Dominus folùm feudum confequatur ob conditionis euentum, fub qua dedit; deficiente enim conditione, (Si Vafallus erit fidelis) princeps nihil aufert à Vafallo, fed fuum tantùm recipit. Et quòd nemo ob alterius delictum fit puniendus, nõ procedit, quòd pœna tantùm refpicit bona illa, quæ à Principe læfo profecta funt, & quidem non nifi fub certa conditione, quæ poftea deficit. *tradit Fachin. controuerf. lib. 7. c. 22. verf. quòd verò dicitur. Menoch. dict. conf. 99. n. 206. verf. non obftat vltimum & n. 207. cum feqq. vfque ad n. 17. Gail. de pac. publ. c. 13. n. 13. Gilken de præfcripit, c. 13. n. 204. Sonsb. de feud. c. 13. n. 3.*

118. Præterea illa verba à Cæfarea Maieftate fe-

dente

dente pro tribunali prolata, preterquam quod facti sint, parum aduersæ parti prosunt; Quia non quælibet vox Principis, Ius facit, aut vim sententiæ habet, maximè in re tanti momenti, & quæ in maximum Cæs. Majest. & Imperij præiudicium cederet, nisi cum causæ cognitione quid statuatur, *Zas. in parat. ff. de constit. princ. n. 5.*

119. Quod verò Dux Neoburgicus, vti habetur sub n. 52. Relationis, sibi pollicetur, se ex clementia, mansuetudine, promissionéque Cæsareâ impetraturum esse illam ipsam Inuestituram, quam Parenti quondam suo Cæsares laudatissimi Maximilianus, Rudolphus & Matthias benignè largiti sunt; nemo est qui inuidebit, modò id fiat citra præiudicium Ser.mi Domini Electoris Bauariæ, & totius familiæ Bauariæ, de Electoratu Palatino cum Iurib. honorib. & ditionibus ipsi annexis, solenniter & in perpetuum inuestitæ, Cui Ius quæsitum & radicatum tolli non potest. *Zas. in l. princeps. 30. n. 26. ff. de legib. Fachin. contr. lib. 8. c. 63. q. 5.*

CAPVT QVARTVM.



120.

AD Tertium caput quod attinet, in quo Relator à num. 54. ostendere, & Imperatori ex Iure feudali persuadere conatur, Agnatis reclamantibus interim executionem suspendendam, donec causa, legitimo Iuris ordine seruato, per pares Curiæ examinetur & decidatur, Agnatis verò, more solito inuestituram impertiendam esse. Iura ab ipso adducta nihil ad præsen-

tem quæstionem faciunt, nam textus *in lib. 2. tit. 26. si de feud. defunct. contentio sit inter Dom. & Agnat. vas.* loquitur solummodo, vti ipse Relator fatetur, si contentio sit inter ipsum Dominum & Agnatos Vasalli defuncti, nouúmne an paternum sit feudum. Item an allodia, siue libellaria aut feudalia sint bona. de quibus in præsenti nulla est controuersia.

Et quamuis instet Relator per alios textus *ex cap. sancimus tit. 21. de feud. sine culpa non amittendo lib. 1. ex c. vn. de controu. feud. apud pares termin. 16. lib. 2. ex c. vn. de controu. inter Episc. & Vasall. 20. lib. 2. ex c. si inter Dominum, tit. de alien. patern. feud. 39. lib. 2. ex c. vn. an apud Iudic. vel Curiam Domini 46. lib. 2.* quibus habetur, si controuersia sit inter Dominum & Vasallum, eam per pares Curiæ esse dirimendam, & neminem de possessione sui beneficij, nisi conuictâ culpâ, detrudendum.

121. Sed, mi Relator, quid ex his textibus euinces? Fridericum Palatinum Cæsareæ Maiestatis & Imperij rebellem, criminis perduellionis reum, conuictũ & proscriptum, feudóque Electoratus indignum & exutum esse, totus quasi orbis nouit, ipséque fateris, & nõ solum ipsum Fridericum, sed & fratrem eius, de reatu & crimine, quantum nobis constat, nec conuictum nec damnatum, accusas: Nihilominus tamen hanc causam ad pares Curiæ remittendam atque dirimendam esse asseris? Quis quæso de possessione Electoratus absque culpa fuit detrusus? An Fridericus Palatinus? conuictissimus

mus

mus & condemnatus est. An Dux Neoburgicus? At ipse nunquam in possessione Electoratus fuit, nisi vel ipse se, vel tu eum constitueris Electorem. quomodo ergo detrusus est?

122. Textus in allegato titulo, An apud Iudicem vel Curiam Domini quæstio feudi terminari debeat, de quo Relator sibi tantopere blanditur, asserens, nec ouum ouo tam simile, quàm hanc quæstionem in qua versamur, comparatam cum illa Iuris feudalis dispositione; tam aptus est & similis quæstioni nostræ quàm Cygno Coruus. Nam quæstio in illo textu proponitur, Si quis sine filio decedat, & alius credens beneficium quod habebat, esse apertum Domino, ab eo fuit inuestitus de feudo: Agnati verò, qui feudum sibi vendicabant tanquam paternum, reclamabāt, quæritur an apud Curiam Domini, vel pares Curiæ sit terminanda quæstio? Et respondet textus, quæstionem coram paribus finiendam.

Nos autem hîc non quærimus, An & quale sit feudum Electoratus, paternum vel nouum, de hoc enim satis constat, nec Imperator sibi hoc feudum apertum asseruit, ob defectum Agnatorum, sed propter atrocissimum & notorium læsæ Maiest. crimen in se commissum: de quo casu allegatus textus nihil disponit, sed adeundus est alius *in c. 1. §. denique Quæ fuit pr. ca. ben. amitt. & in c. 1. An ille qui interf. fr.* qui huic facto & quæstioni multo similiores sunt, quàm oua Relatoris.

123. Doceat aut demonstret Relator aliquem Iuris textum, quo disponatur, Controuersiam eam, si

Vasállus grauissimè & notoriè in Dominum delinquat, & ob id feudum, juxta luculentos Iuris, textus ad eum deuoluatur, à paribus Curiæ decidendam esse. Si non demonstret, erubescat saltem sine lege loqui, & contra inclementiam, iniquitatémque Augustissimi Imperatoris tantopere exclamare.

Notissimum in facto est, & nulla eget vel probatione vel decisione, Fridericum Palatinum in Cæs. Majest. Dominum suum, enormissimè deliquisse; Ipse Dux Neoburgicus id fatetur & pro fundamento suæ petitionis sumit, dictum Fridericum ob feloniam, Electoratus feudo excidisse. Iura feudalia tam clara, perspicua & dilucida sunt, vt qui ea nón intelligat aut videat, omnis sensus expers sit. Quali ergo Iudicio, probatione, aut sententia opus est? quid superest à paribus Curiæ decidendum?

124. Augustissimus Cæsar fulmen justissimum & meritissimum banni proscriptionis in perduellem Fridericum jecit, eúmq; omnibus Iuribus, honoribus, bonis, & in specie Electorali dignitate cum ditionibus ipsi annexis, excidisse declarauit. Deinde dictum Electoratum, ob feloniã Friderici commissam, ad se deuolutum esse, maturè & cum causæ cognitione, auditis ponderatísque Ducis Neoburgici rationibus, prætensionibus & Argumentis judicauit. Demum hunc ipsum Electoratum, vnà cum Iuribus ipsi annexis pari cum causæ cognitione, grauissimis justissimísque causis motus, & quidem cum Electorum Imperij approbatione ac consensu, accedente etiam summi Pontificis hortatu, in Serenissimum Maximilianum Bauariæ Ducem,

totámque familiam Bauaricam, Ducis Neoburgici reclamatione nil remorante, interueniente solenni, solitáque Inuestiturâ, realiter & in perpetuum transtulit, prout sua Electoralis Celsitudo, apprehensâ tam Iuris, vocis, dignitatis & potestatis Electoralis, quàm bonorum, ditionum, terrarum, Dominiorum, aliorúmque annexorum possessione vel quasi, in inclytum Electorum Collegium admissa, fraternæ vnioni associata, & in omnibus, officio, Iure, munere ac dignitate Electoris Palatini hactenus publicè functa, eóque titulo tam à summo Pontifice & Purpuratorum Collegio, quàm à Cæsarea Maiestate, Regibus, Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, Daniæ, &c. digna habita & honorata est.

125. Qua ergo fronte, fide & veritate Relator sub num. 61. scribit, prouisionalem tantùm, & certis conditionibus factam Serenissimo Duci Maximiliano de Electorali dignitate ad dies vitæ vsurpandâ, Inuestituram? Calumniam hanc conuincit Inuestitura Cæsarea, quàm etiam Relator licet inuitus, agnoscere debet.

126. Ex his ergo apparet Cæsaream Maiestatem in tota hac causa proscriptionis Friderici Palatini, feudi Electoratus ad se deuoluti, & in Serenissimam Domum Bauaricam ex eodem sanguine, stirpe & familia Palatinorum Comitum pronatam, translati, maturè, deliberatè, & justè processisse, & ne latum quidem vnguem à tramite Iustitiæ, atque dispositione Iuris recessisse, ac proinde Relatori nil nisi calumniæ pœnas expectandas esse.

127. Quæ autem de Henrico Leone Bauariæ &

Saxoniæ Duce à Friderico primo Imperatore proſcripto; Item de contentione Friderici Marchionis Miſniæ, & Erici Ducis Lauenburgici, ratione Electoratus Saxoniæ, ex Cranzio adfert Relator, nec quidquam faciunt ad rem, nec contra nos; quia non exemplis, ſed legibus judicandum, & jam dictum eſt, omnia juſtè, deliberatè, legitimè, & ex præſcripto Iuris, moréque maiorum, acta, judicata, atque executioni mandata eſſe. Quapropter iniquè conqueritur Relator de Cæſarea Majeſtate, quod modus & ordo procedendi legitimus & præſcriptus non ſit obſeruatus, cúm de contrario palàm conſtet, & licet non conſtaret, tamen præſumendum ſit, omnia à juſtiſſimo Principe, qui Iura in ſcrinio pectoris habere dicitur, juſtè & legitimè eſſe acta *l. fin. C. ſi contra Ius vel vtil. publ. l. digna vox C. de legib.*

128. Si verò Relator his non acquieſcere, ſed poteſtate ſibi factâ, vt ſcribit num. 61. cauſam & jura ſua deducere velit, Iure experiatur & agat, non conuitijs aut falſis narratis, ne ipſi contingat, quod Imperatores Theodoſ. & Valentin. conſtituerunt, *in l. Etſi C. ſi contra Ius vel vtil. publ.* Si nimia mentientis inueniatur improbitas, ſeueritati ſubiaceat Iudicantis.

129. Et quamuis tam clarè, dilucidè & perſpicuè in Iure feudali, maximè verò *in c.* 1. §. *denique Quæ fuit pr. ca. benef. amitt. tit.* 24. *& c.* 1. *An ille qui interf. fr. Domini, tit. 37. lib. 2.* ſtatutum ſit, Iniuriâ & feloniâ maximè atrocis criminis læſæ Majeſt. in Dominum

num

num commissâ, feudum ad ipsum deuolui, vt habeat vltionem Iniuriæ suæ, vt Relator tandem sub n. 72. vel inuitus fateri debeat, tantam esse eorum textuū perspicuitatem, vt multi magni nominis Iureconsulti inde concludant, delictum Vasalli possessoris in Dominum commissum, & maximè læsæ Majest. non modò filijs & descendentibus condemnati Rei, sed omnibus alijs Agnatis nocere; feudū quantumuis paternū & antiquum exclusis omnibus Agnatis etiam Innocentibus, auferri, neque pactum & prouidentiam primi acquirentis, hoc casu Agnatis commodo & vtilitati esse posse.

130. Attamen ne manus dare videatur, latibula quærit, & ad miserorum asylum confugit, respondendo imprimis & negando nostram opinionem esse communem, multóque plures & grauissimos esse Scriptores, qui eam vt nimis iniquam, immanem, barbaram, & ab omni humanitatis ac naturæ ratione alienam reijciant, alteram autem benigniorem & æquiorem amplectantur, nixi textibus *in tit.26. si de feud. def. controuers. sit inter Dom. & Ag.* §. *Si Vasall. lib.2.*

Secundò in tit. 13. *Si Vasall. feud. priuet. lib. 2.*

Tertiò tit. 78. *Culpam vnius cohæredis non præjudicare lib. 2.*

Quartò tit. 98. *Vasallus habens feudum deliquit contra Dom. lib. 2.*

Deinde

Deinde respondet allegando & trahendo aliquot Doctores inuitos & contrarium dicentes, in suam sententiam.

Tertiò quòd Doctores nostræ sententiæ adhærentes limitent eam, vt non procedat in feudis antiquissimis, non vni certæ personæ, sed generi & familiæ, atque ita concessis, vt Iure & ordine primogenituræ de vno in alium deuoluantur, maximè verò si accedat simultanea Inuestitura, quam Dux Neoburgicus ante motam Bohemicam Rebellionem, de Electoratu Palatino obtinuit, atq; euentualiter & simultaneè inuestitus fuit, cujus ea sit vis, vt possidens suo ordine & certis conditionibus, vasallo non possidenti, vocato tamen suo tempore ad successionem, delicto suo etiamsi læsæ Majest. crimen sit, non tantum in antiquo & paterno, sed nec in nouo feudo nocere possit. Proinde satis pœnæ esse, sátq; vltionis S. Cæs. Majestatē habere, si videat damnatum cum fratre, & liberis suis dejectum ijs possessionibus, quas retinuisset omni modo, si à crimine, secutus aliorum agnatorum innocentiam, abstinuisset, quod satis innuere putat textum *in §. denique Quæ fuit pr. c. ben. amitt. in vocabulo (saltem) quæ eius naturæ est, vt restringat & minuat suâ significatione id cui adijcitur, relat. &c. n.* 117. 118. *&* 119.

131. Verùm tantum abest, vt hæ leuiusculæ responsiones & futiles objectiones, nostræ quidquam officiant sententiæ, vt ei maius robur & firmamentum addant.

Nam ad textus nostros quod attinet, stant ii vt

Marpesia

Marpesia Cautes immoti, nulla arte elidendi aut prosternendi, generales, nullam distinctionem aut mentionem feudi noui, vel paterni, hæreditarij, aut ex pacto & prouidentia facientes, adeóque generaliter intelligendi juxta l. 1. §. Et generaliter *ff. de Legal. præstand. l. Si quis sic & ibi Alex. ff. solut. matrim.* vbi enim lex non distinguit nec nos distinguere debemus, *l. de pretio ff. de publ. l. præses ff. de officio præsidis.*

Et licet quandoque generalitas legis per eius rationem restringatur, hoc tamen aduersæ sententiæ nihil suffragatur, siquidem ratio decisionis in allegato §. denique (vt hanc habeat saltem Iniuriæ suæ vltionem) etiam generalis est, & non minus militat in feudo ex pacto & prouidentia, quod cōceditur familiæ, generi, & de vno in alium, &c. quàm in hæreditario, *Sonsbec. dic. cap.* 13. *n.* 3. *Hartm. Pistor. quæst. Iur. lib.* 2. *p.* 1. *q.* 15. *n.* 31. *Fachin. controuers. l.* 7. *c.* 22. qui egregiè refutat contrarium tenentes.

132. Quòd autem hi nostri textus, qui instar Achillis & æneì muri sunt, generaliter de omni feudo absque vlla distinctione aut exceptione disponant, & sic intelligendi, adeóque Rosenthal & pauci eius sequaces in manifesto errore sint, ex ipso Rosenthal conuincitur, qui quoties in genere de causis priuationum in cap. 10. agit, & omnes amittendi feudi causas refert, frequenter allegat *dic. c.* 1. *Quæ fuit prima ca. ben. amitt.* nullibi tamen causas priuationis ibi recensitas, ad feudum nouum vel hæreditarium restringit, prout aliàs Iuris in-

controuersi est, Vasallum ex eisdem omnino causis, quæ memorantur in dic. c. 1. amittere feudum ex pacto & prouidentia, seu generi, & de vno in alium concessum, quàm hæreditarium.

Quemadmodum ergo principium & omnes sequentes §§. dicti c. 1. de feudo in genere loquuntur, nec aliter quàm de feudo in genere accipi possunt, ita & finem eiusdem cap. in §. denique, de feudo in genere accipere necesse est; dicta enim in vno capite legis, censentur tacitè repetita in alio capite eiusdem legis, per Doctrinam *Bald. in l. quoniam 29. §. vlt. ff. ad leg. Aquil.*

133. Vnde nimis audacter Rosenthal. conclus. 8. c. 11. asserit, omnes ibi allegatos Doctores loqui tantùm de feudo hæreditario seu Informi, quasi id solum, ob delictum in Dominum commissum, exclusis Agnatis ad eundem Dominum deuoluatur: Rem enim aliter se habere quilibet ambabus manibus deprehendet, vbi ipsos Doctores legerit: Nam Duarenus ibi allegatus *de feud. c. 17. n. 2.* expresè dicit, culpâ in ipsum Dominum admisâ, feudum reuerti sine distinctione ad Dominum, ergo non loquitur ibi de solo feudo Informi seu hæreditario, sed de feudo in genere sine distinctione.

134. Sic Andreas Gail. *de pac. pub. c. 13. n. 10. & seqq.* expresè loquitur de feudo ex pacto & prouidẽtia, idq; ex culpâ in Dominũ admisâ, ad eundẽ reuerti, vt nec pactum & prouidentia primi acquirentis Agnatis commodo esse possit. Et hanc opinionem esse magis

com-

communem, nec ab ea in Iudicando recedendum n. 12. in fin. tradit. Quare falsò est Allegatus à Rosenthal, & à Relatore Neoburgico.

135. Idem dicendum est de M. Antonio Peregrino, qui sinistrè & malè pro contraria sententia allegatur, & intelligitur. Et quamuis Mynsingerus, Laurentius Kirchouius, Zasius, Præpositus & Curtius Iunior cum aliquot alijs, non vtantur verbis (Ex pacto & prouidentia) eo ipso tamen eos de feudo pactionato sentire, colligitur, dum loquuntur de feudo antiquo & paterno; atque hanc eorum mentem esse, cuiuis dicta ipsorum diligentiùs consideranti, facilè constabit; Et ita etiam Doctores de feudo paterno & antiquo loquentes intelligit Hartman. Pistoris Saxo, à Relatore allegatus *in lib. 2. p. 1. q. 15.*

136. Vt interim taceamus, dictam distinctionem inter feuda ex pacto & prouidentia, & hæreditaria, à grauissimis Doctoribus rejectam, & omnia feuda, de Iure communi feudali ex sua natura esse, & censeri ex pacto & prouidentia, ita vt filij non succedant patri in feudo, quia ipsius hæredes sint; hac enim ratione & filiæ, quia hæredes sunt, succederent; sed à prima origine feudorum, feuda ita concedebantur, vt ad libitum Domini possent reuocari; postmodum dabantur ad annum; deinde ad dies vitæ Vasalli; demum ad filios ipsius non quidem vt hæredes, sed quia ita erat pactum inter Dominum & Vasallum, vt defuncto Vasallo Dominus debeat concedere feudum filio. quod postmodum Imperator Conradus profecturus Romã, ad petitionem Va-

ſallorum, ad Nepotes & deſcendentes extendit, *vt latius patet ex §. Et quia videmus, de ijs qui feud. dar. poß. lib.* I. *tit.* I. Ita vt feudum per ſe ex primæuâ ſua naturâ ſpectatum, ſit ex pacto & prouidentia, *prout Hartman. Piſtor. in q.* I. *p.* I. *lib.* 25. *expreßè aſſerit. Et in Camera obſeruari teſtatur Roſenthal c.* I. *q.* 33.

137. Nullum enim feudum eſt eius naturæ, vt filij & deſcendentes aliter ſuccedant, quàm ex conuentione inter Dominum & acquirentem, & ſic regulariter omnia feuda ſunt ex pacto & prouidentia. *Piſtor: d. l. Iacob de Beluiſo c.* 1. *de eo qui ſibi. Iſer. c.* 1. *n.* 9. *de alien. feud. pater. Tho. Marin. tit.* I. *n.* 13. *& ſeq. Pinell. in l.* I. *p.* 3. *n.* 89. *C. de bon. matern. Burſat. conſ.* 148. *n.* 28. *Vult. de feud. l.* I. *c.* 8. *n.* 25. *vbi dicit*, quod ſucceſſio ex pacto & prouidentia, ſit ex lege, & ex contractus feudalis naturâ: In hæreditario feudo autem non ex naturâ, ſed ex conuentione; vbi egregiè & fundamentaliter demonſtrat, omne feudum dici ex pacto vnum, vulgò ex pacto & prouidentia dictum. Ex pacto quodam hominis & prouiſione legis. Alterum verò ex pacto & prouiſione ſolius hominis, aut certè non Juris feudalis.

138. Accedit quod quidam exiſtimant, in Germania omnia feuda eſſe hæreditaria, non quidem quod ex ſua natura talia ſint, ſed quod plerunque Inueſtituræ concipiantur pro hæredibus, & ſic naturam feudi hæreditarij ex diſpoſitione & prouiſione hominis acquirant, retinendo tamen naturam feudi Maſculini.

139. Vnde facillimum eſſet negare Roſenthalio

& no-

& nostro Relatori, nos versari in terminis feudi ex pacto & prouidentia, cùm secundum communem Doctorum opinionem ea sint hæreditaria feuda, quando Inuestitura est concepta pro Vasallo & eius hæredibus; Constat autem ex Inuestitura à Duce Neoburgico productâ, simultaneam illam Inuestituram esse fundatam super pactis hæreditarijs gentilitijs (Erbverbrüderung) Item his verbis conceptam, Ipsi (scilicet Duci Neoburgico) & eius hæredibus & successoribus; atque hæc simultanea Inuestitura refertur expresse ad primam tanquam Normam reliquarũ, tùm etiam ad allegata familiæ pacta, & dispositionem paternam.

Vnde satis liquidò apparet, Comites Palatinos succedere Iure hæreditario in hoc feudo, cum nemo ex pacto & prouidentia succedat, neque ex testamento, neq; ab intestato, sed Iure proprio. *Pistor. d. p.* 1. *l.* 2. *q.* 3. *n.* 59.

140. Verùm his non vlterius immoramur, quandoquidem Cæsareæ Maiestatis fundamentum non in natura feudi hæreditarij, sed in clarissimis Iuris textibus est positum.

Liquet ergo quàm malè Rosenthal verba & mentem Doctorum assecutus fuerit, quo in vitio allegandi sæpius deprehenditur, Ideo cœcus, Relatorem cœcum ducit, & vterque in foueam erroris incidit. Vt inde benè moneat dictus Hartman. *Pistor. q.* 15, *n.* 31. *sub fin.* aduertendum esse, Doctores applicasse hanc distinctionem feudi hæreditarij, & ex pacto & prouidentia, casui, quando delictum in alium, quàm Dominum fuit com-

missum, vt vix solus sit Rosenthal, qui eam ad nostrum casum ita obstinatè extenderit, vt etiam filios Domino præferat, cuius sentētiæ nec ipsum Relatorem, nec Dominum Ducem Neoburgicum habet sequacem; cùm ea ratione potiora forent Iura filiorum Friderici proscripti quàm sua; videat ergo quos alleget patronos suæ sententiæ.

141. Et licet Andreas Gail dicat, plurimos esse Doctores, qui putent reatum Vasalli non nocere Agnatis, sed filijs tantùm; tamē ij Doctores intelligendi sunt, vt tunc demùm Agnatis non noceant, si successio mortuis omnibus descendentibus ad ipsos deferatur, vti And. de Isernia, qui citatur Author primarius contrariæ sententiæ, seipsum sic explicat, quem etiam refert, & sequitur Hartman. Pistor. *d. q. 15. n. 27. & 32. adducens deinde n. 46. vers. denique, aliquot Authores præter Iserniam, vt Iacob. de Ardizon. Aluarott. Matth. de Afflict. Bald. Camerar. Freciam. Capitium, Ioan. Thom. de Marin. Cuiacium.*

142. Quare cùm ipse Hartman. Pistoris & alij ab eo allegati, tertiam & mediam sententiam, eorum scilicet qui feudum tantùm ad Dies Vasalli & descendentium, Domino tribuunt, hac in parte sequantur, illi non sunt rapiendi in alteram sententiam, nostræ & communi è diametro contrariam; nimirum vt Agnatus statim admitti debeat etiam non expectatâ morte descendentium delinquentis, quæ sententia planè cōmuniter reijcitur. Et quanquam opinio Hartman. Pistoris plus æquitatis & rationis habere videatur, quàm hæc, quæ Ag-

natos

natos ſtatim admitteret, nihilominus tamen ea omni deſtituitur fundamento Iuris, quam & Roſenthal impugnat *cap.* II. *concl.9.n.10.*

143. Manet ergo inconcuſſa, communis, & vera ſententia ſecundum quam iudicandum eſſe, omnium tribunalium eſt axioma, Gail. *d.c.13. n.12.* Et Doctores pro aduerſa ſententia allati, vel nō ſunt fideliter allegati, vel loquuntur in caſu, quo bona delinquentis confiſcantur, vel cùm delictum eſt commiſſum in alium quam in ipſum feudi Dominum, vel quando feudi alienatio fuit illicitè facta, vt Rolandus à Valle, Burſatus, Mynſingerus, Menochius, Zaſius; vel in terminis alienis à noſtro propoſito, adeoque noſtram quæſtionem, Si nimirum Vaſallus delictum in perſonam Domini committat, quod tunc Agnati excludantur, iis in locis vel non tangunt, vel ſi tangunt, *vt Mynſing. conſ.39. l.* I. *n.13. & 17. & conſ. 44. n.27.* communem tamen & noſtram ſententiam ſequuntur, & Agnatos excludunt.

144. Vt autem magis appareat, quàm falsò allegentur Authores, vel ex vno Hartman. Piſtor. colligitur, quem Relator pro ſe citat, atque ſuam ſententiam acerrimè defendere ait, cùm tamen ipſe non Relatoris, ſed tertiæ opinioni manifeſtè adhæreat, dicendo feudum, commiſſo in Dominum delicto, aperiri ipſi Domino, ſed apud eundem tamdiu duntaxat manere, quamdiu Vaſallus delinquens & eius hæredes maſculi ſuperſunt, quibus omnibus extinctis, tum demùm feudum ad Agnatos deuoluatur, ita expreſsè tradit *lib.2.p.1.q.15. n.32. & ſeqq.*

145. Mi-

145. Mirum proinde eſt, quâ fiduciâ hic & alij Dd. potuerint allegari, & applicari ad noſtrum caſum, de quo vel non loquuntur, vel prorſus contrarium & nobiſcum ſentiunt: Et licet fortè vnus aut alter Doctor pro Relatore faciat, tamen quia contra torrentem communis & receptæ ſententiæ, atque clariſſimos textus Iuris nituntur, prorſus non ſunt attendendi, ſed obſeruandum quod Zaſius *in l. minimè 22. n. 8. ff. de legib.* tradit. Opiniones communes, receptas & Iure fulcitas eſſe tenendas, etiamſi ex ingenij vel calumniâ vel ſubtilitate poſſit eludi.

Quod autem de benignitate ſuæ ſententiæ adfert Relator, nihil ad rem facit; nam & nos eam pro ipſo benignam arbitramur, & quæ foret adhuc benignior, ſi ipſius delinquentis filij non excluderentur, aut ſi etiam ipſi delinquenti, citra tamē tertij, Ius quæſitum habentis præjudicium, parceretur.

Nos autem in tali caſu dubio, vbi huic fictæ & imaginatæ æquitati, benignitatíque locus, aut benignior interpretatio capienda ſit, vt quæ tantùm in dubijs obtinet, omninò non verſamur; ſiquidem Iura tam clara ſunt, vt contrarium dicere, non ſit ſecundum benignitatem aut æquitatem, ſed iniquè & contra legem judicare, & magis expediat Reip. facinoroſos & perduelles condignis pœnis afficere, ne dum illis parcimus, bonos perditum eamus, vt ait, Salluſtius in Iugurtha, Plato l. 8. pag. 862. vbi dicit, Reipub. duplicem inde vtilitatem euenire; malorum enim caſtigatione cæteros à ſceleribus reuocari & Ciuitatem profligatis hominibus purgari.

Cui

Cui adſtipulatur Greg. Mag. *lib. 9. Epiſtol. 9. ad Serenum Maßil. Epi.* Conſiderate ait, quantum & hominibus execrabile & periculoſum ante Dei ſit oculos, ſi per eum, à quo plectenda ſunt crimina, nutriri vitia videantur.

146. Ad alteram Doctorum limitationem à Relatore ſub num. 94. allatam quod attinet, vt nempe ſententia noſtra locum non habeat in feudis antiquiſſimis, non vni certæ perſonæ, ſed generi & familiæ conceſſis, vt ab vno ad alium, à primogenito ad primogenitum ordine ſucceſſiuo deuoluantur; reſpõſum jam ſatis eſt, nullum Relatori præbere hanc obiectionem patrocinium aut effugium.

147. Nam Electoratum Palatinum, potiùs eſſe hæreditarium & non eo modo, vt opinatur Relator, conceſſum, ex ſuperioribus conſtat Generi enim conceſſum id dicitur, ſi totum genus vel familia, & omnes in ea comprehenſi, ſimul & ſemel corporaliter & realiter ſint inueſtiti, & ſpecialiter nominati, *vt per Curt. Iunior. in 5. part. princ. in* I. *concl.* Non verò vt ſeruetur ordo ſucceſſiuus; Alioqui omne feudum diceretur generi conceſſum, cùm ordine ſucceſſiuo, ad quemuis de genere poſſit tranſire, Ita vt ipſe Roſenthal vir aliàs in hac re indulgentiſſimus *in cap. 11. q. 3. n. 2. & 3.* verba illa (Generi, vel de vno in alium) nil juuare doceat, nec etiam Vaſallis ampliùs dare, quam ipſa natura feudi det, vt tranſeat in omnes ex primo acquirente deſcendentes, aut ſit idem, quod feudum ex pacto & prouidentia, id quod ante eum quoq; cenſuit Menoch,

conf.99.n.191. & seq. Knichen de vestitur. pact. c. 2. n. 155. & seqq.

148. Doctores autem in eo demùm casu loquuntur, vt vnus alteri in feudo per delictum præiudicare aut nocere non possit, quando quilibet per se, & independenter ab alio censetur, quod in nostro casu dici non potest; alioqui jam dudum expirasset prima Inuestitura super Electoratu Palatino, Cùm moderni Palatini tunc nondum nati, non potuissent inuestiri per se principaliter, & independenter à suis patribus. Gail. autem à Relatore citatus, id non dicit, sed simpliciter citat Baldum hoc non firmantem.

Contrà autem, quod etiam in feudis regalibus generi concessis, delictum vnius, reliquis de genere & familiâ noceat, expresse tradit Curt. Iun. *d.p.5.n.5. Hart. Pistor. l.2.p.* 1. *q.* 16. *n.* 12.

149. De simultanea Inuestitura, quam denuò repetit, nihil est quod sibi gratuletur Relator; Re enim æquiori trutina ponderatâ, satis apparet, vt suprà dixim⁹, Duci Neoburgico hanc Inuestituram nihil suffragari, cùm ea hîc non habeat locum, nec ad eum quidquam deuoluatur nisi linea Friderici omninò deficiat, qui casus nondum extitit; deinde diximus varijs modis simultaneè quempiã posse inuestiri; videlicet si duobus mox ab initio; aut etiam ex post facto alteri extraneo non descendenti ex primo acquirente; vel etiam Agnato, sed tanquam de nouo feudo per se & principaliter Inuestitura detur; vel si fiat alicui ex Agnatis à primo acquirente descendentibus, qui aliàs vi primæ Inuestituræ

habet

habet ſpem & Ius ſuccedendi: prioribus enim modis Iuueſtitus acquirit Ius nouum, poſteriori verò in pactũ deducit, & conſeruat ſolum id Ius conditionatum & pactionatum quod antè habebat; vnde tali modo Inueſtitus æquè amittit Ius ſuum & ſpem, Vaſallo poſſeſſore in Dominum delinquente, ac ſi Inueſtiturã ſimultaneam nunquam habuiſſet.

150. Nec etiam ad rem facit Authoritas Gailij *de pac. pub. l. 2. c. 13. n. 2.* Nam ibi loquitur de ſimultaneâ Inueſtiturâ verâ (Daß ſie Mitbelehnete ſeyen) & eodem Inſtrumento ſimul comprehenſi, vt poſſint dicere, ſe habere Ein geſambte Hand. Hic autem nihil ſimile habetur, ſed Dux Neoburgicus eſt ſolùm inueſtitus abuſiuè in caſum, ſi ei ſucceſſio deficiente generatione Friderici deferatur, non quod ea abuſiua ſimultànea Inueſtitura, quæ inueſtito nullam poſſeſſionem, neque actionem tribuit, Imperatori nocere debeat, ſi propter feloniam in ipſum commiſſam, feudum interea temporis ad ſe deuoluatur; nam Dominus in omnibus Inueſtituris cenſetur Ius ſuum reſeruare, niſi ei in ſpecie renunciet. Quòd autem hæc ſimultanea abuſiua inueſtitura non tribuat Jus in re, nec realem actionem, & ſic nihil aliud ſit, quàm mera expectantia in caſum, ſi aliquando ei ſucceſſio ordinaria & legitima deferatur, quam Agnati habent ex Iure communi, expreſsè tradit Hartman. Piſtor. *l. 2. p. 2. q. 20. n. 6. & 26.*

Quare Andreas Gail à Relatore hic citatus; non loquitur de tali expectantia ſucceſſionis in caſum ſi deficiat linea, qualem habet Dux Neoburgicus, ſed de vera ſimultanea inueſtitura vbi duo ſimul & ſemel per ſe

& principaliter sunt comprehensi, quæ dicitur **die gesambte Handt** / & longè differt ab expectatiua quæ dicitur **Ein Anwartung eines noch vnerledigten Lehens** / vti habet Rosenthal *cap. 6. conclus. 49.* nihil igitur juuat Relatorē dictum Gailij extra nostros terminos loquētis.

151. Ex eo porrò quod Relator sub n. 97. Constitutiones Imperij & recessus de Anno 1521. 1522. & 1548. pro sua sententia, & stabiliendo jure Ducis Neoburgici allegat, satis apparet, eum vel Cōstitutiones has non legisse, vel credere, alios non lecturos. Nam optimum Argumentum pro Cæs. Maiest. ex his textibus desumi, suprà deduximus; statuunt enim disertis verbis distinguendo, An Vasallus Rebellionem aut fractionem pacis publicæ in alium quàm in Dominum feudi; vel in ipsum Dominum committat. vt priori *casu* feudum non ad Dominum deuoluatur; altero autem secundum Iura communia feudalia res determinetur. Quid autem Iura feudalia hoc casu statuant abundè dictum est, nec opus cramben recoquere: Id solum notandum, Relatorem hic vltro fateri, hunc casum commissi atrocissimi criminis in Dominum, juxta dispositionem Iuris communis feudalis esse decidendum.

152. Sed cùm causæ suæ deploratæ Relator timeat, si decisioni Iuris communis feudalis committatur, sub n. 99. & 100. denuò confugit ad Auream Bullam, & dicit, Electoratus omnes cum officijs & dignitatibus suis, atque in indiuiduo Electoratum Palatinum officiúmque Archidapiferiæ, esse & manere debere perpetuò penes solum Comitem Palatinum successorem, quódque principatus, & terræ ad Electoratum pertinentes

nentes inseparabili nexu vnita manere; Item si quis Elector aut eorum filij peccent, in decernendis ijs pœnis non ad Ius feudorum, sed ad Auream Bullam recurri debeat.

At huic infirmo Argumento & impertinenti interpretationi Aureæ Bullæ suprà satisfactũ est. Et nouit Relator, tam principatũ & ditiones ad Electoratũ spectantes cum Iuribus annexis, ad Ser.mum Bauariæ Ducẽ Maximilianũ ex genere, stirpe, sanguine & familiâ Comitum Palatinorum ortum, & cui ab antiquo ante conditam Auream Bullam & expectatiuam Ducis Neoburgici, ex pactis Iuratis atque ab Electoribus Imperij approbatis, Ius fuit quæsitum & semper retentum, fuisse translata, ibíque indissolubili & perpetuo nexu mansura, adeóque conformiter Aureæ Bullæ omnia acta & gesta esse.

153. Quod autem ad pœnas irrogandas attinet, An non capite 14. disertis verbis statuit Aurea Bulla, Vt Vasalli malitiosi diffidatores, turbatores pacis, Dominorum inuasores, damna inferentes, consilium & auxilium prȩstantes, feuda & beneficia eo ipso amittant, infames existant, banno Imperiali subjaceant, & nullus eis ad feuda vel beneficia pateat quocunque tempore accessus vel aditus, sed ea Dominis ipsis realiter & corporaliter assignentur? Si ergo Aurea Bulla eum qui Dominum inuadit, propter feudum aliàs ad se pertinens, & in quo Ius habere censetur,

feudo ita priuat, vt ei amplius concedi non possit, eáque concessio seu inuestitura viribus non subsistat, vt habetur d. textu; Quanto magis illum priuasset feudo, in quo offensus nullum Ius habet, *arg. à minore ad maius Nicol: Euerh. in top. legalib. n. 1. cum seqq.*

154. An non Fridericus Palatinus Cæsaris Vasallus fuit? An non scelestam factionem contra eum iniuit? imò suscitauit? An non Regnum & Electoratum ipsi vi & armis eripere conatus est? fatebitur hæc vtique Relator, fateatur ergo vt ea fiant, quæ Aurea Bulla in tam scelestos rebelles, proditores Dominorum suorum, violatores pacis publicæ, Imperij, imò totius Christianitatis turbatores statuit, atque adeò ipsum Fridericum huius rebellionis Authorem feuda sua, juxta Auream Bullam, amisisse, eáque à Cæsare corporaliter apprehensa, & in Ser.nium Electorem Bauariæ optimo Iure translata esse.

155. Si autem Relator neget, Agnatos à feudo ibi excludi, negabimus nos vicissim, hos vigore Aureæ Bullæ admitti; cùm de hoc non reperiatur expressum, ac proinde dispositioni Iuris feudalis relictum. Nec procedit Argumentū ab Authoritate negatiuè, *Euerhard. in loc. ab authoritate n. 17.* Quare non sequitur, hoc non est expressum in hac lege, ergo non est expressum in alia, sed potius sic; In hac lege nihil est de hoc casu decisum, ergo est relictus alijs legibus eum decidentibus. Cui accedit quod in omni dispositione casus inopinatus & non cogitatus, intelligatur exceptus. Quis enim vnquam cogitare potuit aut debuit, vt quisquam Electorum non modò contra suum Collegam, sed & Impera-

Imperatorem conſpirare & coniurare, eúmque & prouincias ſuas ferro ac flammâ perdere, ſubditos ad rebellionem ſollicitare, aliáque ſimilia execranda facinora perpetrare auderet? Hîc in mentem venit, quod de Solone ſcribunt, ipſum nullam in parricidas legem conſtituiſſe, eò quòd animum eius nunquam ſubijſſet, quemquam mortalium fore, qui proprio parenti, à quo vitam habet, ſuam eriperet. Ita ſanè Conditores Aureæ Bullæ cogitare non poterant fore, vt vnus ex Electorum Collegio, non ſolùm in Collegam ſed & ſupremum Dominum, Caput, atque Imperatorem ſuum, cuius pars Electores eſſe cenſentur, proditoriè arma ſumeret, regna ac ditiones eius, nullâ Iniuriâ laceſſitus inuaderet, Dux & Caput rebellium fieret, quos omni conatu ab his facinoribus nefandis cohibere debuiſſet. Caſum igitur hunc à Iure communi feudali deciſum omiſerunt, *l. ſi cum dotem ff. ſolut. matrim.*

156. Videamus ergo nunc, quidnam textus ex Iure feudali à Relatore in ſuam ſententiam erroneam citati, ipſi adiumenti adferant. primus eſt, *in c. 1. §. Vaſallus culpam tit 26. lib. 2. ibi.* Si Vaſallus culpam committat, propter quam feudum amittere debeat, neque filius neque eius deſcendentes ad id feudum reuocabuntur, ſed Agnati qui quarto gradu ſunt, dummodo ad eos pertineat.

Sed hic textus non de culpâ aut delicto in Dominum feudi, ſed in alium commiſſo intelligendus eſt, *vt ibi expreſsè docet gloſſ. & Schenk in princ. n. 1. Gothofred.*

thofred. in lit. q. Præposit. vers. sed quæro ibid. Sonsbeck. de feud. c. 13. n. 5. Ratio autem huius interpretationis est, Quod lex generalior debeat interpretari per specialiorem: in toto enim Iure, generi per speciem derogatur: Cùm igitur habeamus textus speciales, qui statuunt feudum etiam exclusis Agnatis deuolui ad Dominum, quando delictum præsertim tam enorme, in ipsum Dominum commissum fuit, non est recedendũ à textibus illis specialibus & claris: Cui accedit quòd lex vna, aliam regulariter declarat, l. non est nouum ff. de legib. vnde cum textus in §. denique. Quæ fuit pr. ca. ben. amitt. distinguat inter culpam in Dominum, & alium commissam, hic autem textus generaliter & indistinctè loquatur, dicendum omninò est, hunc per illum declarari; idque etiam satis innuitur per verba vltima dicti textus in §. Vasallus ibi (dummodo ad eos pertineat) quorum verborum sensus est; dari casus in quibus feudum non ad Agnatos pertineat, inter quos etiam hic numerandus, si delictum enorme, & atrox in ipsum feudi Dominum committatur, hoc enim casu ad Agnatos non pertinet, sed ad Dominum, per Iura sæpè allegata.

Et quamuis Relator huic responsioni occurrere conetur, dicendo hunc textum loqui de culpâ in Dominum commissâ: Tamen egregiè refutatur à suo Patrono Hartmanno Pistoris, qui *lib. 2. p. 1. q. 16. n. 8. vers. verum enimuerò. & n.* 11. expresse contrarium tradit; adde Fachin. *lib. 7. controuers. c. 23. vers. quarta deniq.*

157. Secundus Relatoris textus est in tit. 31. lib. 2.

Si Va-

Si Vasallus feudo priuetur, cui deferatur, &c. qui sic habet: Vasalli feudum delinquentis, licet ad Agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus aspirabit, nisi id iterum à Domino licitè acquirat sibi gratiam faciente, verbi gratia, si non sunt alij ex latere quibus aperiatur, ad eius petitionem admittuntur, qui quarto gradu sunt remoti ab eo, qui id acquisiuit vsque in infinitum, dum tamen hoc cõstet ab eo per masculos descendisse.

Ad hunc textum est expedita, & eadem quidem responsio, sicut ad superiorem; loquitur enim & hîc in casu, cum culpa non in Dominum, sed alium commissa est, eiúsque sunt testes, *Præpositus & Schenk. ibid. Sonsb. dic. c. 13. n. 5. Fachin. cap. 22. vers. Etenim quod attinet. Hartman. Pistor. dic. q. 16. n. 11. vbi hoc probat.*

158. Tertius textus est in tit. 78. Culpam vnius ex cohæredibus cæteris non præiudicare, lib. 2. ibi, Cùm feudum hæreditarium vni ex cohæredibus propriâ culpâ auferetur à paribus per Iudicium, cæteris non præiudicat.

Quartus est eod. lib. tit. 98. Ex delicto Vasalli feudum ad Dominum redire, vbi ait: Vasallus habens feudum deliquit contra Dominum, cui judi-

catum est, Agnati cū Domino litigant; Quidam Domino dicunt pertinere, quidam Agnato: Dicimus autem ad Dominum non pertinere, donec aliquis Masculus ex delinquente superest, alij verò contradicunt.

159. Ad hos textus variæ & facillimæ sunt responsiones. Primò enim hæc capitula propterea nullam merentur fidem, quia sunt de extraordinarijs in lib. 4. fragmentorum apud Cuiacium, quæ habentur pro apocryphis & nullius authoritatis, *vt docet Curt. Iun. de feud. 5. part. n. 2. Zas. de feud. p.* 10. *n.* 102. *Sonsb. dic. c. 13. n. 3. Fachin. dic. c. 22. vers. lib. 7. in fin. Gilken. de præscript. c. 15. n. 218. Rosenthal. cap. 11. conclus. 9. n.* 18. & 19. vbi testatur communem interpretum sententiam & in Iudicijs receptam, quod textibus istis & similibus extraordinarijs quoad hoc vt dogma aliquod speciale constituant, fides non adhibeatur; Et ita etiam Cameram Imperialem contra vnum capitulum extraordinarium, ex illo fundamento quod sint habenda pro apocryphis, judicasse. Ecce ergo quomodo Relator super Arenam & apocryphos textus, qui nullam fidem, sicut & ipse, merentur, sua fundamenta ponit.

Secundò ipsemet Cujacius collector horum capitulorum, in altero textu tit. 98. in vers. dicimus, expungit negatiuam (non) vt sensus sit, feudum ad Dominum pertinere. *ita attestante Gothofred. ibid. ad lit. k.*

Tertiò textus ipse in tit. 98. in fine, testatur, alios dicere feudum ad Dominum non pertinere, alios autem

tem

tem contradicere, Quibus ergo credendum aut adhærendum?

Quartò hæc duo Capitula inuicem ſunt contraria, Nam in cap. 98. negatur, Dominum viuo Vaſallo & eius progenie feudo frui poſſe. In cap. 28. autem id aſſeritur: Et ad euitandam hanc Antinomiam, Cuiacius, vt diximus, expunxit negatiuam (Non) quam expunctionem laudat Hartman. Piſtor. *dic. cap.* 15. *n.* 45. Vulgatum autem eſt, ex lege varios intellectus habente, non poſſe argumentum ſolidum ſumi. *Iaſon. in l. ſi is qui pro emptore n.* 32. *ff. de Vſucap. Zaſ. in l. mores. n.* 26. *ff. de Iuriſd. om. Iudic. vbi refert, prouerbium Bartholi, quòd ex lege ambiguâ non facimus capitale.*

Quintò & vltimò hæc duo Capitula extraordinaria non exprimunt, de quo delicto ſentiant, in Dominum vel alium admiſſo: vnde meritò ſtandum & inhærendum eſt diſpoſitioni ſpeciali, & diſertè diſtinguenti inter vnum & alterum delictum *in d.* §. *denique Quæ fuit pr. ca. benef. & c.* 1. *An ille qui interf. fratrem Domini ſui.*

CAPVT QVINTVM.

160.

QVandoquidem ergo Relator ad ſaniorem fortè mentem rediens animaduertit, nihil ſuæ deploratæ cauſæ patrocinari textus Juris feudalis, Conſtitutiones Imperij, Aureámque Bullam, tandem ad exempla

empla confugit, & sub n. 101. audacter astruit ab eo tempore quo Aurea Bulla condita est, hactenus in Imperio inauditum, seueritati legis Iuliæ Maiest. fideles & culpæ omnis sceleris que vacuos Principes, fuisse expositos. E contra verò patrum nostrorum memoria, post proscriptionem Ioannis Friderici Ducis quondam & Electoris Saxoniæ, Mauritium proximum eius, legitimum, & Innocentem Agnatum, sine vlla Cæsaris contradictione fuisse ad Electoratum vnà cum fratre Augusto admissum. Idem asserit de eius Ioannis Friderici filio, etiam Ioanne Friderico similiter proscripto & eius bonis in familiâ relictis. Nec non de Marchionis Brandenburgici Alberti proscripti prouincijs & ditionibus, quæ ad Georgium Fridericum, non ad Dominum vel fiscum delatæ fuerunt.

161. Sed his & similibus leuioribus & non concludentibus objectiunculis respondemus, non referre qiuid alibi agatur; aut præteritis temporibus actum fuerit; Nec etiam exemplis, sed legibus judicandum, atque veritatem legum & Iustitiæ sequendam esse, sanxit Iustinianus Imperator in l. nemo Iudex 13. C. de sentent. & interlocut. Cùm nemo Imperatori dicere possit, Cur ita facis? vt ait Gail. *lib. 2. obser. 56. n. 15. ex Bald. in proœm. feud. n. 34. Et ideò in eius gesta aut potestatem inquirere nefas sit & sacrilegij instar. l. 3. C. de Crim. sacrileg.*

162. Deinde negamus rem cum Ioanne Friderico Saxoniæ quondam Electore, contra Imperatorem Carolum V. perfidè arma mouente, & proscripto, se ita habere vt memoratur à Relatore. Nam

Nam Ioannes Sleidanus, vir aliàs Cæſari & rei Catholicæ non fauens, in ſuo commentario hiſtorico de ſtatu Reipub. & Religionis ſub Carolo V. lib. 19. fol. 21. editione in fol. ſcribit, quod dictus Ioãnes Fridericus captus, Dignitati ſeptemuirali tàm ſuo quàm liberorum nomine renunciarit, & Cæſari, vt (NB) pro ſuo ſtatuat arbitratu, permiſerit. Quibus verbis videtur alludere ad diſpoſitionem Aureæ Bullæ cap. 7. vt nempe de Electoratu vacante tanquam de re ad ſe & Imperium pertinente, pro arbitratu poſſit diſponere.

Pergit deinde Sleidanus eodem lib. & fol. fac. 2. Bona, inquit, illius (Saxonis proſcripti) omnia Cæſar publicat, eáq; donat Ferdinando frari (Cæſaris) & Mauritio.

Adhuc ergo hiſcere audes Relator? Adhuc negare pergis extare exemplum à tempore Aureæ Bullæ, quo Electorum aliquis priuatus fuerit bonis, & Electoratus ad Cæſarem deuolutus?

163. Sed in Mauritium proximum Agnatum, inquit, fuit translatus. Ad hoc reſpondemus primò, Ioannem Fridericum habuiſſe fratrem germanum, Ioannem Erneſtum, multis annis pòſt, & quidem primum Anno 1553. defunctum, qui proximitate Mauritium longè anteceſſit: Secundò licet ipſi Ioanni Friderico proſcripto frater non fuiſſet, Attamen Mauritium non ex diſpoſitione Aureæ Bullæ, vel Iuris feudalis, aut vigore prætenſæ, & à Relatore confictæ alicuius ſimultaneæ Inueſtituræ, aut vllo alio Iure neceſſitante; verùm

ex liberâ & benignâ Cæsaris voluntate, & illi ex Aureâ Bullâ concessa potestate, in Electoratu successisse, testatur historicus in verbis jam allegatis. Ne autem optimum & justissimum Cæsarem Carolum quintum id temerè, aut absque ratione egisse quis existimet, addit idē Sleidanus in l. 20. pag. 347. vbi de translatione Electoratus in Mauritium Saxonem, & Inuestiturâ solenni more peractâ narrat, quòd aliqui Principes, inter quos erat Albertus Bauariæ Dux, nomine Mauritij Cæsarem adierint, ac demissè rogarint, vt Mauritio, publicum Imperij beneficium, & insignia principatus conferret, Cæsar, re cum Electoribus comunicatâ, per Electorem Moguntinum responderit, quoniam vterque (*Mauritius & eius frater Augustus*) fidelem operam sibi nauarint, velle se Mauritio eiúsque liberis Masculis, aut si nulli sint, Augusto fratri, eiúsque liberis Electoratum Saxoniæ, & Ioannis Friderici possessiones omnes conferre, nisi quantum ipsius liberis antè sit concessum. Hactenus Sleidanus: cui adstipulatur, eandémque rem & totum Actum, in quo dignitas Electoralis Mauritio Saxoni collata fuit, narrat Mameranus Lucemburgus rei gestæ tunc præsens, his verbis:

164. **Cùm Henricus Dux Brunsuicensis,**

nomi-

nomine dicti Mauritij, Electoralem dignitatem vnà cum nonnullis Dominijs, quæ antè Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ possedisset, à Cæsareâ Maiestate peteret, eam consilio cū Electoralibus habito, per Electorem Mogūtinum ad rogata respondisse, quòd sua Cæs. M.tas perpensis & consideratis seruitijs (NB) quæ Dux Mauritius eiúsque frater Dux Augustus, suæ Maiestati, & sacro Imperio præstitissent, benignè prompta & parata sit, quæ peterentur præstare. Deinde infrà: cōparente ipso Duce Mauritio, & Electoratum coràm petente, Cæsarem per Electorem Moguntinum iterum respondisse:

Respectis & consideratis ipsius Ducis Mauritij, eiúsque fratris Augusti (NB) fidelibus, diligentibus & multis seruitijs, suæ Maiestati, & sacro Imperio exhibitis, huc motā esse suam Maiestatem & paratam, ac procliuem esse, ea quæ peterentur, præstare. Ergo non ex debito, vigore Sanguinis & Agnationis, sed intuitu meritorum & fidelium seruitiorum collata fuit Electoralis dignitas Mauritio. Idem Ludouicus ab Auila de Bello Germanico lib. 1. testis etiam rebus gestis præsens scribit, nempe, Regem Ferdinandum & Ducem Mauritium fœdus inijsse, vt viribus

con-

coniunctis Electoris Saxoniæ (rebellis & proscripti) ditiones inuaderent, eásque postea NB. ex pacto, inter se diuiderent. Quod sanè Mauritius minimè iniuisset, si casum delicti sub dispositione Aureæ Bullæ comprehendi, atq; proinde Electoratum cum bonis & ditionibus annexis, sibi soli vt proximo Agnato ex lege deberi, existimasset.

165. Quare ex hac rei serie luce clarius apparet; Exemplum, Ioannis Friderici Saxonis Electoris nihil prorsus ad sententiam Relatoris facere, quinimò nostram, & gesta Inuictissimi Imperatoris Ferdinandi quasi in terminis, si exemplis judicandum sit, ita confirmare, vt eum à vestigijs Maiorum, ne latum quidem vnguem recessisse existimes. Primò enim, Carolus Imperator proscripto Ioanne Friderico Saxone Ius liberum de Electoratu disponendi sibi vindicauit. Vindicauit & sibi Ferdinandus II. Imperator, proscripto perduelle Friderico Palatino.

166. Secundò Carolus Cæsar principatus, territoria, districtus inter Executores Banni, Regem Ferdinandum fratrem, Mauritium & liberos Ioannis Friderici proscripti partitus est; partitus est & Ferdinandus Cæsar principatus, territoria, & districtus Friderici Palatini inter Executores Banni, Agnatum suum Regem Hispaniæ, Electorem Moguntinum, Maximilianum Bauariæ Ducem, Archiducem Leopoldum, Episcopum Spirensem, relictâ, nisi proscripti pertinacia obstitisset, liberis eius bonorum parte.

167. Tertiò Carolus Cæsar Electoralem dignitatem

tatem Saxoniæ, cum annexis territorijs ac ditionibus (exceptis ijs quæ filijs dicti Ioannis Friderici & alijs erant assignata) non nisi ob fidelem operam & præstita seruitia, Mauritio & Augusto Agnatis proscripti contulit. Contulit & Ferdinandus Cæsar Electoralem dignitatem Palatinam, cum annexis territorijs ac ditionibus (exceptis ijs quæ alijs destinata erant) ob fidelissimam, sumptuosissimam, & cum quouis Heroe comparandam, constantémque operam, & præclara seruitia, Maximiliano Bauariæ Duci, Agnato proscripti, & Ius ab antiquo etiam ante conditam Bullam Auream habenti.

168. Quòd si ergo Aurea Bulla hunc casum ratione Successionis Successorum, juxta corruptum sensum Relatoris comprehenderet, & Electoratus ob delictum in Imperatorem feudi Dominum commissum, nō vacaret, vt de eo pro arbitrio disponendi Imperatori potestas sit, sed ex necessitate legis in proximum Agnatum deferretur. Sanè neque Carolus Imperator religiosissimus, liberum sibi de Electoratu Saxoniæ statuendi arbitrium vindicasset, neque Mauritius territoria & ditiones sibi Iure Agnationis debitas, partiri passus fuisset; quin potius Ius ex Aureâ Bullâ sibi debitum asseruisset; cùm nemo maximè in arduis præsumatur jactare suum, l. cum de indebito ff. de probat. c. per venerabilem, ext. Qui filij sint legitimi. Ideóque hinc satis constat Relatorem longè à vero aberrare, dum dicit, nullum à tempore Aureæ Bullæ extare exemplum, quo Electoratus ob delictum ad Cæsarem deuolutus sit; quin potius ex his gestis Caroli V. & translatione Electoratus Saxonici euincitur, primò Auream Bullam in capite

P 7. vbi

7. vbi de vacante Electoratu agitur, intelligendam esse, vt suprà monuimus, tam de casu extinctæ & finitæ familiæ, quàm de casu delicti & feloniæ in Dominum commissæ, vt eam explicat Gerlacus Buxdorfius in dissertatione ad Auream Bullam dic. c. 7. innuens ad hoc ipsũ exemplum proscripti Ioannis Friderici Saxonis. Secundò quòd sæpedicta Aurea Bulla tam in cap. 7. quàm 20. & 24. & passim, vbi de successione secundum Ius & ordinem primogenituræ familiarum Electoralium tractat, hunc casum, quo ob enorme delictum Electoratus ad Imperatorem deuoluitur, non comprehendat, sed dispositioni Iuris communis feudalis relinquat. Ita vt adductum exemplum nostram sententiam quàm maximè confirmet, Relatoris autem refellat.

169. Quod autem Relator addit, Cæsarem tunc temporis monuisse Mauritium & eius fratrem Augustum, vt Iuris ad se delati rationem haberent, nec paterentur se præueniri; id, si tamen verum est, potius pro Cæsare facit, & arguit, dictos fratres Saxones nihil Iuris habuisse ad Electoratum, sed eos ex abundanti Cæsaris clementiâ ac benignitate monitos, tandémque Electoratu ex gratia, atque intuitu præstitæ operæ & meritorum donatos fuisse. Si enim Ius habuissent, neque opus fuisset adhortatione, quia in re propria nemo præsumitur obliuiosus & suum negligere; neque ab alijs potuissent præueniri. Et prorsus ex contingentia facti euenit, quòd excluso fratre Ioanne Ernesto, Mauritius & Augustus fratres, proximi Agnati Ioannis Friderici fuerint, & simul fidelem operam Cæsari præstiterint, cuius intuitu magis, quàm proximitatis Agnationis Electoratum,

vt ex historia patet, gratiosè & non ex debito consecuti sunt. nec enim per hoc, quod Cæsar proximiori Agnato contulit, libertati & liberalitati eius quicquam detractum est, cùm & non Agnato, si collibuisset, dare potuisset. Quare ideò Electoratus ad Mauritium deuolutus est, quia Cæsar sic voluit; si noluisset, Mauritius Elector non fuisset, nec Cæsar ei fecisset Iniuriam vtendo Iure suo; Voluit autem quia Mauritius dignus erat, pro remuneratione meritorum, id beneficium ab Imperatore præ alijs accipere.

170. Alia duo exempla de Ioannis Friderici Saxonis, & Alberti Brandenburgici filijs, eorúmq; bonis ad fiscum non delatis, sed proximis Agnatis relictis, nihil euincunt, nisi quod Cæsar vsus fuerit clementiâ summâ erga filios & Agnatos Innocentes; At inde non sequitur, modernum Imperatorem Ferdinandum ad eandem clementiam, gratiam & liberalitatem Friderici Palatini, Agnatis & Duci Neoburgico exhibendam ex necessitate astringi, juxta notam regulam Juris; quòd ea quæ alicui gratiosè conceduntur, ab alijs non debeant trahi in exemplum, multò minus in Ius & consuetudinem, vt opinatur Relator. *cap. Quod alicui gratiose 74. ext. de Reg. Iur. l. quod contra ff. eodem.*

171. Vt taceamus, fractionem pacis Ioannis Friderici Iunioris fortè non fuisse principaliter contra ipsũ Cæsarem, sed ad recuperanda amissa; quo in casu feuda Agnatis non auferuntur. Deinde quid vtitur Relator hoc argumento, nec in forma, nec in materia concludente? cùm, si eo exemplo judicandum esset, Dux Neoburgi-

burgicus à fratre & filijs proſcripti Friderici omninò excluderetur.

172. Et tandem, licet etiam nullum exemplum in Imperio pro confirmandâ noſtrâ ſententiâ communi extaret, (cuius contrarium tamen ſuprà oſtendimus) nihil ex eo concluderet Relator; tùm quòd argumentum per ſe ſit irreleuans, tùm quòd fortè nullum exemplum talis pœnæ extet, quia nullum extat tam enormis culpæ; quis enim tam horrenda vnquam perpetrauit in Cæſarem, ſacrúmq; Romanum Imperium crimina?

173. Sub num. 106. & ſequentibus, aliâ ſe pelle veſtit Relator, vulpeculam agit, adulando mordet, & mordendo adulatur. Dum enim glorioſiſſimum Imperatorem, quem aliàs ob iniquitatem, duritiem, inclementiam, & fractam legem publicam criminatur, demulcere ſtudet; quaſi per ſub: & obreptionem atq; inhiatione potentium inductus, conceſſerit ea quæ non erant concedenda, clanculum mordet Ser.[mum] Electorem Bauariæ, quaſi Electoratui iniquè inhiaſſet; per importunitatem, ſub: & obreptionem Electoratum impetraſſet, atque ipſi Inueſtitura tantùm prouiſionalis, & ad dies vitæ facta; Duci verò Neoburgico per eam conceſſionem nullum præiudicium allatum fuiſſet.

174. Talis nimirùm horum hominum genius eſt & ingenium, vt, cùm ratione, jure & ſolido fundamento nihil efficere poſſunt, figmenta congerant, atque furijs agitati, alios Innocentes calumnijs & obtrectationibus onerent. Vacauit, & ad Cæſarem deuolutus eſt Electoratus Palatinus cum annexis Iuribus, bonis & ditionibus, ob atrociſſimũ perduellionis crimen in ſuam

Cæſ.

Cæſ. Maieſtatem, & ſacrum Imperium Romanum à Friderico commiſſum, Iure feudali ita diſponente: Diſpoſuit de eo pro arbitrio, Cæſar, tanquam de re ad ſe, & Imperium legitimè deuolutâ, Aureâ Bullâ ſic ſtatuente. Tranſtulit deinde Electoratum liberè, re tamen per duos & amplius annos maturè deliberatâ, conſilio cum Electoribus communicato, annuente, quinimò flagitante Summo Pontifice, inſtantibus & approbantibus Romani Imperij Principibus, quin etiam exteris Regibus & Ducibus (vno Duce Neoburgico excepto) hoc enixè poſtulantibus, omniúmque bonorum applauſu, in Sereniſſimum Bauariæ Ducem Maximilianum, & totam ſtirpem Bauaricam, meritis ſuæ Serenitatis vniuerſo orbi notis, Agnatione & Iure ab antiquo familiæ competente, aliiſque grauiſſimis cauſis, Cæſarem ad hoc impellentibus, prout latiùs patet ex diplomate, & literis Inueſtituræ.

175. Nulla hîc Electoratus ambitio, nulla ſub: & obreptio, nulla potentium inhiatio, aut ſi vlla fuit, non Duci Bauariæ, ſed alijs, qui adhuc palàm ambire Electoratum, Cæſari ſub: & obrepere, atque inhiare aliorum Iuribus non ceſſant, adſcribenda eſt; nulla facta conceſſio, quæ fieri non poterat & debeat; nihil contra Ius actum; nihil prouiſoriè, & ad dies vitæ conceſſum; nihil Iuris Duci Neoburgico reſeruatum; nihil etiam ablatum aut imminutum; quia nihil hoc caſu competebat. Non enim videtur rem amittere, cuius propria non fuit; vt reſpondit Papinianus *in L. non videtur 43. ff. de Reg. Iuris. quia priuatio eſt eius cuius eſt poſitio. l. 4.*

ff. de acquirend. hæred. vbi Gothofred. ad lit. S. Nec potest dici priuatio vbi non est habitus; l. bouem. 43. §. 9. ff. de ædilitio Edict. Sed omnia ratione, Iure, legitimè, consultò & maturè acta, deliberata, judicata, & executioni mandata fuere; quibus turbulentorum ingeniorum reclamationes, calumniæ, aniles & inanes querelæ, nihil obesse, nec rem Imperiali culmine decisam & judicatam infringere possunt. *l. 5. C. de re Iudic.* Quandoquidem nec impetrata rescripta admitti debere, si decisæ semel causæ Iudiciali sententiâ fuerint, sed eos qui talia rescripta meruerunt, etiam à limine Iudicij repelli debere, statuit Constantinus Imperator *in l. fin. C. sententiam rescindi non posse.*

176. Quod autem n. 108. & seqq. de remunerandis & compensandis eorum meritis, quorum consilio, ope & virtute Cæsar sua recuperauit, & quòd ob id Innocentes nullo damno, Iniuria & vituperio affici debeant, nihil ad rem præsentem facit: Nam ad nauseam dictum ac demonstratum est, Duci Neoburgico in hoc casu, quo ob Vasalli rebellis enormissima delicta in Dominum commissa, feuda amissa sunt, nihil penitus Iuris ad Electoratum competere, sed Imperatori liberum fuisse, de eo, tanquam re ad se legitimè spectante dispónere, ac proinde cum Cæsa. Maiest. non plenitudine potestatis, sed ordinario remedio & suo Iure vsa sit, nihil est quod de Iniuria aut damno sibi illato Dux Neoburgicus conqueratur, cùm Iuris executio nullam habeat Iniuriam, vt respondit Vlpianus *in l. Injuriam 13. ff. de Iniurijs.*

Calumniis

Calumnijs & maledictis suis addit etiam minas Relator sub n. 112. nempè quòd si secus fiat ac ipse existimat, metuendum omninò sit, ne fortè alij Principes & Ordines sese opponant, & noui alicuius tumultus & incendij materiam præbeant, nunquam admissuri vt Electoratus, Principatus, Ducatus, &c. sibi ob alienam culpam, nullâ præuiâ Iuris cognitione, ex solâ plenitudinis potestate eripiantur.

177. Sic cornua tollit contra Imperatorem Relator; sed vanæ sunt sine viribus minæ, & satis vel ex hoc conijcere licet, quàm inquieti ac turbulenti homo Ingenij sit Relator; metitur enim alios suo pede, existimans, cùm ipse ad tumultuandum & alienis inhiandum sit pronus, duræ & pertinacis ceruicis, ac suo nimium fidens cerebro, Imperij Principes, Iustitiæ, tranquillitatis & pacis publicæ cultores eiusdem esse farinæ, & sibi adhæsuros. At fallitur, non habiturus suæ proteruiæ, pertinaciæ & temeritatis adstipulatores, multò minus adjutores, cùm nihil hîc ex plenitudine potestatis, nihil contra Ius & fas, aut in alterius præjudicium factum, sed omnia consultò, præuiâ Iuris cognitione, viâ ordinariâ, secundum Iustitiæ tramites & morem in Imperio receptum actitata, decisa & judicata, atque ab Imperij Electoribus Principibúsque approbata sint.

178. Ad ea porrò quæ Relator à n. 113. vsque ad num. 135. de prohibita rerum feudalium, restitutioni subiectarum, & onere fideicommissi affectorum alienatione, amissione, confiscatione, & An Vasallus per delictum graue in Dominum commissum, Agnatis præjudicare, & feudum ad Dominum offensum deuolui jure

possit.

poſſit & debeat, moleſtâ tautologiâ & repetitione recoquit, nõ eſt quod denuo reſpondeamus; cùm id abundè factum ſit, & ſatis ſupérque demonſtratum, nullam hîc verſari quæſtiònem, de fideicommiſſis aut bonis reſtitutionis oneri ſubiectis, nec etiam de confiſcatione bonorum, ſed de feudo non ad fiſcum, verùm ad Dominum directum, ob enorme perduellionis crimẽ in eum perpetratum, excluſis Agnatis deuolutum. Vnde veritas rei, & falſitas ſententiæ Relatoris eiúsque allegationum, ad hanc rem impertinentium luculenter patet. Nec animus nobis eſt contra verboſum verbis contendere. Id tamen prætereundum non eſt, quod Relator ſub n. 124. præter morem ſuum & fortè etiam voluntatem, veriſſimè ſcribit, his verbis: Quòd Electoratus Palatinus integer ad eum venire debet, qui in euentum mortis, ſeu quod idem eſt, deficientis lineæ de eo eſt inueſtitus.

179. Hoc enim eſt quod ſuprà monuimus, & tam ex Aureâ Bullâ, quàm Ducis Neoburgici ſimultaneâ, abuſiuâ Inueſtiturâ demonſtrauimus, vtramq; loqui tantummodo de ſucceſſione in caſu mortis, ſeu deficientis lineæ alicuius per mortem: qui caſus ſi eueniſſet, nemo eſt, qui Duci Neoburgico reſiſteret, eiúsque ſucceſſionem impugnaret. Quia ergo Duci Neoburgico nullum Ius ſuccedendi competit, niſi in caſum mortis & deficientis lineæ Friderici. Qua ratione poteſt dici ipſum Innocentem puniri, & priuari Iure ſuo cum nullum habeat? gratias proinde in hoc paſſu Relatori habemus, quòd aliquando noſtræ ſententiæ & veritati acceſſerit.

Redit

Redit Relator iterum ad textum §. denique. Quæ fuit pr. ca. benef. amitt. (qui tamen ipsius jugulum petit) & nouam comminiſcitur interpretationem; quaſi vi illius textus non Agnati, ſed ſolùm filij & deſcendentes excludantur, & feudum ad Dominum pertineat, non vt ſibi retineat, ſed vt ipſum concedat Agnatis ex latere, qui ſunt vltra quartum gradum, vt ſaltem hanc habeat Iniuriæ ſuæ vltionem. Hoc enim verbum (ſaltem) reſtringere & minuere ſua ſignificatione, id cui adijcitur.

180. Sed quàm torta, inepta, & abſque fundamento hæc ſit interpretatio, patet primò ex eo, quòd dictio (ſaltem) eam habeat ſignificationem, vt ſit idem, ac ſi diceret (ad minus) & ita ſenſus horum verborum ſit; Licet debuiſſet Domino alio modo ſuccurri, ſi autem non poſſit, fiat ſaltem hoc modo; quâ ratione etiam Cicero loquitur in Epiſt. ad Atticum 138. ibi, Eripe mihi, aut ſaltem minue dolorem. Et Aul. Gell. lib. 12. c. 14. Fuit ergo mens conſarcinatoris illius capituli. Cùm Domino feudi, qui omnia alia ſibi à Cliente & beneficiario ſuo polliceri potuerit, decepto, & graui offenſione laceſſito, ea ſuppliciorum genera (quæ, cùm quis in Principem peccat, locum habent) concedi non poſſint: vt ſaltem in hoc ei ſubueniretur, vt reciperet id quod dedit, atque ita hoc ſaltem modo, recipiendo iterum feudum, Iniuriæ ſuæ habeat vltionem; Vnde hæc vocula (ſaltem) non minuendi, ſed ſupplendi cauſa adjecta eſt. *Fachineus lib. 7. controuerſ. c. 22. verſ. Nec ille modus. Gilken dic. c. 13. n. 206.*

Secundò malè interpretatur & cauillatur Relator

text. in allegato §. denique Quæ fuit pr. ca. ben. am. quasi ibi tantùm excludantur filij & descendentes, si felonia in Dominum sit commissa. Nam textus huic similis *in §. I. An ille qui interf. frat. Dom.* expressè de Agnatis mentionem facit, eos excludendo, ibi, Quia tamen erga Dominum non fuerit facta felonia, ad Agnatum proximiorem pertinet; Cùm autem ad Dominum respicit felonia, feudum tunc Domino aperitur. Quid clarius, quid dilucidius scribi possit, non video. Cùm ergo vnus textus alterum interpretetur, citra cauillationem dici non potest, §. denique, solummodò loqui de filijs & descendentibus, sed de omnibus Agnatis. Nam ait, ad proximos eo casu pertinere feudum, quando felonia est commissa in Dominum, dummodò paternum sit; quasi diceret, si paternum est, pertinet ad Agnatos; si nouum, ad Dominum. Idque etiam apertè confirmat glossa. *ibid. in verbo, ad proximos, & 2.*

182. Vt demùm Relator nihil quod ad confusionem quæstionis & suam facit, hîc intermittat, atque relationem suam, quàm à calumnijs conuitijs, & maledictis cœpit, ac prosecutus est, pari stylo finiat, verbis falsis, & obtrectatorijs subdit; quasi Cæsarea Maiestas Electoratum Palatinum pro compensatione, & refusione sumptuum bellicorum à Serenissimo Bauariæ Duce Electore factorum, in eum transtulerit, & quod in Imperio hoc non solùm inusitatum, & nulla exemplo comprobatum, sed etiam constitutionibus Imperiali-

bus

bus & ordinationibus Cameræ p. 3. tit. 89. improbarum, atque ſtatutum ſit vt ſi; proſcripti patrimonium ad refectionem ſumptuum, & expenſarum in executione banni Imperialis factarum non ſufficiat, tunc omnes circuli ad inſtantiam Executorum congregati, conueniant inter ſe, & ſumptuum refundendorum æquabilem, habitâ proportione ſingulorum, ineant rationem, & omnes ad ſolutionem teneantur; Sereniſſimo Bauariæ Duci autem, & reliquis, qui hac in parte præ alijs ſtrenui fuerunt, fortunáque meliore vſi ſunt, loco mercedis longè maximæ ſit, Cæſaris fauor, Imperij, nominis & famæ laus ſempiterna, eóque magis decora & illuſtris, quantò minus inhiant alienis Iuribus, quibus ſine Iniuria & læſione aliorum potiri ſe liberè, quietè & pacificè non poſſe perſpiciunt, &c.

183. Os planè indomitum, & cerebrum helleboro, imò malleo dignum, quod tam imprudenter & malitioſè comminiſci, atque impudenter effutire non erubeſcit, ea, de quibus nec Cæſ. Maieſt. nec Electori Bauariæ quidquam in mentem venit. Nam Electoratus Palatinus ex mero beneplacito & arbitratu Cæſaris, atque alijs maximis, juſtiſſimíſque de cauſis, vt ſuprà diximus, in Bauariæ Ducem & eius inclytam familiam transſcriptus fuit, nullâ ſumptuum bellicorum habitâ ratione aut mentione: Ita vt hoc nihil ſit aliud, niſi Relatoris callidum & malitioſum figmentum, exiſtimantis ſi Electori Bauariæ ſumptus bellici aliunde poſſint refundi, ille Electoratu cedere, & Dux Neoburgicus ſuccedere debeat.

184. De ſumptibus bellicis pro Cæſareâ Maie-

ſtate erogatis, cõuentũ primò fuit inter eam & Bauariæ Ducem, ipſique bonis hypothecæ obligatis ita cautum, vt ijs, niſi refuſis prius ſumptibus, cedere non teneretur: verùm de Electoratu obligando, aut in ſuam Serenitatem transferendo, tunc nec cogitatum quidem fuit, quia non vacauit, nec Cæſari de eo diſponendi poteſtas competijt. Vbi autem bannum in Fridericum Palatinum perduellem latum, Electoratúsque cum Iuribus, bonis & ditionibus annexis ad Cæſarem delatus fuit, vt de eo, juxta Aureæ Bullæ ordinationem, iterum prouideretur & diſponeretur: cogitare tunc Cæſar, conſilia inire, cum alijs, cumprimis verò Electoribus communicare, & re, per biennium ac ampliùs penitiſſimè perſpectâ, expenſâ, deliberatâque in Bauariæ Ducem Maximilianum & eius gentem transferre cœpit: nihil tunc de ſumptuum refuſione, nihil de Electoratu æſtimando, vendendo, aut compenſationis loco dando cogitatum actúmque eſſe nouit Cæſar, norunt Electores, illíque omnes qui rei geſtæ adfuerunt.

185. Et tantum abeſt vt de hoc quidquam actum aut effectum ſit, quin potius Elector Bauariæ expenſas pro Cæſare factas repetijt, & pignori ſuo poſtea magis quàm antè inhæſit, illúdque in ſextum vſque annum tenuit, donec ei à Cæſare, juxta pacta conuenta, ratione ſumptuum bellicorum ita ſatisfactum fuit, & nihilominus vnà cũ alijs Imperij Electoribus, Principibus & Statibus, qui Cæſareæ Maieſtati fidelem & conſtantem contra Rebelles operam nauarunt, pro ſua parte expenſas aliquot Myriadum fecit, atque etiamnum facit.

186. Quis igitur fidem adhibeat homini, falſa pro veris ſcienter obtrudenti? nemo certè veritatis amans,

mans,

mans, sed omnes æqui rerum arbitri judicabunt, culpam & vitia, quæ de ambitu atque inhiatione Electoratus alijs impingit, in eos qui necdum ambire desinunt, redundare; neminem quippe, vt opinor fallit, ex quâ pharetrâ hæc tela deprompta, & in quo cerebro, hæc Argumenta sint nata. Ad Constitutiones Imperij & Ordinationem Cameræ quod attinet, suprà ostendimus, eas nihil omninò pro Relatore facere, sed potiùs nostram sententiam confirmare. Nam in Constitutionibus de Annis 1521. 1522. & 1548. sub titulo de pœnis fractorum pacis, sicut etiam in ordinatione Cameræ Imperialis *p.2.tit.9.* So jemands Hoch: oder Nidern. vers. Auch die Lehen/ rc. disponitur: Quòd si quis fractor pacis publicæ existat, non tamen in Dominum, à quo feudum habet, delictum committat, ipse proscribatur, bona eius allodia publicentur, feudalia verò, donec vixerit, aut offenso reconciliatus fuerit, ad Dominum deuoluantur: Si verò fractio pacis, & crimen in Dominum feudi perpetratum sit, id dispositioni Juris communis feudalis, statuentis, vt feudum Dominus habeat in vltionem Iniuriæ suæ, relinquitur.

187. Et quamuis *in part.3. ordinat. Cameræ tit.* 48. §. Im fall aber/ dispositum sit, In casu quo bona proscripti eo vsq; se non extendunt, vt ex illis sumptus, ad executionem banni, erogati, non possint solui, tunc reliqui Circuli ad instantiam executoris debeant inter se conuenire, & sumptuũ refundendorum æquabilem rationem inire. Tamen hoc nihil ad præsentem quæstionem; primò quia in dicto §. nihil disponitur de feu-

dalibus bonis, quid de ijs tali casu fieri debeat: quandoquidem alibi, vt dictum est, de hoc sufficienter est prouisum. Secundò, quia non versamur in terminis refundendorum sumptuum, sed an ob turbatam pacem publicam, & crimen perduellionis atrocissimum in Dominum admissum, feudum Electoratus Cæsari aperiatur, de quo nihil in hoc titulo dispositum reperitur. Tertio, quia de expensis, in executione banni à Serenissimo Electore Bauariæ factis, inter Cæsarem & ipsum Electorem singulariter conuentum est, nec vlla de hoc amplius quæstio vel difficultas, nec opus cæteros Circulos pro refusione expensarum compellare.

Vt hinc satis appareat, Relatorem per impertinentes discursus & allegationes, nil nisi latebras & tenebras quærere, vt instar fraudulenti Mercatoris, falsas merces in obscuro & confuso obtrudere possit.

188. Simile ferè effugium est sub nu. 139. quod nempe Electoratus Palatinus cum terris, dominijs, Iuribus & pertinentijs ad Agnatos spectans, contra Auream Bullam, Iure, & vi belli ab hostibus non potuerit extorqueri. Hoc enim est principium petere, & id quod probandum erat, nempe Electoratum Palatinum hoc casu, enormis & horrendi facinoris in Cæs. Maiest. feudi Dominum commissi, ad Agnatos pertinere, in propositione pro certo ac probato assumere. Cecidit Fridericus Palatinus in Dominum Rebellis, Electoratu & omnibus feudis suâ culpâ: proscriptus fuit; bonis suis per sententiam priuatus, tanquam perduellis & hostis Cæs. Maiest. atque Imperij: Inuasor alieni Regni, & fractor pacis publicæ: deuoluta fuerunt eius feuda, Iure sic disponente, ad

te, ad Imperatorem, vt de Electoratu iterum prouidere possit & debeat. Supererat ergo & rationi, Iuríque tàm communi quàm constitutionibus Imperij, ac ordinationi Cameræ consonum, vt ea sententia, ne esset elusória, executioni mandaretur; quod ob pertinaciam condemnati aliter, quàm vi armatâ juxta ordinationes & modum executionis in Imperio receptum, fieri non potuit. Atque ita Imperator lacessitus & pœne coactus, hoc bello contra Fridericum proscriptum & Rebellem suscepto, Electoratum Palatinum cum ditionibus, & prouincijs annexis, sibi de Iure ob commissam feloniam apertum, realiter apprehendit, atque postmodum in Bauariæ Ducem meritissimum, cum totius Reip. Christianæ applausu transtulit; vt ita disponente Iustitiâ, dignitas Electoralis iterum in eam familiam, cui ab antiquo debebatur, sed contra Ius, fas & Iurata pacta adempta fuit, postliminio reuerteretur; ibíque volente Diuino Numine, liberè, quietè & pacificè, licet Relator & eius asseclæ reclament, obstrepant ac etiam insaniant, æternùm permanebit.

189. Ex supra deductis igitur, cuilibet æquo rei arbitro luculenter cernere, imò manibus deprehēdere, & judicium ferre, perquam facile est: Ea ōnia quæ Relator contra Cæs. Maiest. Serenissimum Bauariæ Electorem, aliosque Imperij Electores ac Proceres, quorum consilio, suasu & auxilio, Cæsar in eo negotio vsus est; temerario ausu confinxit, & maledico calamo vulgauit; nullo rationis, Iuris, æquitatis, aut probabilitatis fundamento niti, sed satis supérque confutata esse; atque idcircò Relatorem modestiæ nescium, pudoris ignarum,

turbu-

turbulentum obtrectatorem vt habetur in l. vn. C. siquis Imperatori maledixerit. nomina Principis petulanter lacessiuisse, nec non Bauariæ Electori, multa à vero longè aliena, per calumniam imputasse, & meritò expectaturum quod Honorius & Theodosius *in l. vltima C. de Calumniatoribus* responderunt, Quisquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, cùm Calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij.

190. Contrà verò, quæ pro asserendo optimo Iure Cæsaris; de Electoratu Palatino, ob atrocissimum perduellionis Crimen per Fridericum proscriptū commissum, ad se liberè deuoluto, atque in Bauariæ Ducem, eiúsq; familiam iustè ac legitimè translato, scripta sunt, ex apertissimis & ineuitabilibus Iuris textibus, Aureâ Bullâ, Imperij Constitutionibus, ordinatione Cameræ, rationibus solidis, grauissimis Doctorum Authoritatibus, Maiorum exemplis & more in Imperio recepto, ita probata, demonstrata & firmata esse, vt summam Iustitiam distributiuā, de statuendis in facinorosos & Reip. Rebelles condignis pœnis, atque erogandis in bonos, fideles, optiméque de Cæsare & Imperio meritos, debitis præmijs, sanctè & inuiolabiliter à gloriosissimo Imperatore obseruatam esse, nemo æquus dubitare aut contradicere possit; ac proinde nihil dubitandum, quin Imperium seditiosis & rebellibus sic purgatum, fidísque suffultum columnis, diuino aspirante Numine inconcussum sit permansurum.

Ad maiorem DEI Gloriam, atque Sacri Romani Imperij salutem.



